





PAAW.
De Peste









PETRI PAAV
Amsteldamensis
In Academia Lugduno Batava Anatomici & Botanici quondam Professoris

TRACTATUS DE PESTE.

Cum
HENRICI FLORENTII
ad singula ejusdem Tractatus
Capita

ADDITAMENTIS.



Lugduni Batavorum,
Ex Officina ABRAHAMI COMMELINI.
CIↃ IↃ C XXXVI.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Amplissimis, Prudentissimisque Viris,

GULIELMO BONTIO, J. C. Urbis hujus Prætori.

GERARDO à LANSCHOT, M. D.

JACOBO à BROUCHOVEN, J. C. Rhenolandiæ Quæstori.

DANIELI ab ALPHEN, Ord. Holl. Quæstori.

NICOLAO vander MEER, Urbis hujus Consulibus.

NEC NON

JOANNI à WEVELINCHOVEN, J. C. ac Vrbis hujus SYNDICO.

SIMONI à BAERSDORP, J. C. Eidem Urbi à Secretis.



Amplissimi, Prudentissimique Viri,

NVllam sortem longam esse, dolorem ac voluptatem invicem cedere, non est quod aliunde petitis probem exemplis, domi quotidie nascũtur. Nec est, quod pri-

privata in medium proferam, publica in conspectu sunt. Ut alia sileam, sola vestra hæc urbs viva ejus rei imago non semel fuit. Anno 1574. gravi pressa obsidione, fames & pestis simul eam afflixit, ac ex quatuordecim hominum millibus octo absumsit, miseranda

ſanè ac deploranda e-
jus tum facies erat,
caſuram, nec unquã
iterum ſurrecturam,
imo ruituram eam
dixiſſes: interim ut
ſecundis nõ nimium
fidendum eſſe jam di-
dicerat, ita lapſis me-
liora deſperanda non
eſſe ſtatuebat, ac pro-
inde dum adverſa fe-
rebat, ſecunda exſpe-
ctabat,

ctabat; nec ſpes eam
fefellit. Mirandum,
quam brevi iterum
reſpiraverit, ſpiritũ-
que traxerit, ac ex vi-
cinorum malis, magi-
ſtratus prudẽtiâ, ſuo-
rum remedium ade-
pta ſit: accedentibus
enim ex vicinis pro-
vincijs novis incolis
mortuorum ij non
tantum locum ſup-
 ple-

pleverunt, ſed & numerum incolarum plurimum auxerunt; itàque paulatim creſcente fortunâ, commercia vigere, facultates opeſq; civium augeri, totaque civitas novam faciem induere cepit, ita omnium rerum viciſsitudo eſt. Verum ut nulla unquã tam bea-

ta

ta exſtitere ſecula, quę non alicujus mali permiſtione contaminata fuerunt, ita & hic bona malis ut plurimum miſceri, imo ex ipſis ſecundis adverſa naſci viſum eſt. Quæ medicæ cõtemplationis non ſunt prudens prætereo. Quum indies creſcente incolarum

multitudine, indies magis magisq; quoque floreret vestra civitas, arcteq; admodum ac sordidè habitare plurimi cogerẽtur, pestis eam non semel invasit, præsertim anno 1600. 1624. & quæ jam dictas multis parasangis superavit, tãtumque inter præceden-
tes

tes caput extulit
Quantum lenta solent inter viburna cupressi,

Hæc quæ anno superiori 1635. sævissimè in hac urbe grassata fuit, quæ si non inde enatæ, saltẽ tanta existente incolarum multitudine contagia, imo (quod amplius est) curatio ministeriaq; invicem

vulgarunt eas, ut aut deſerendi negligendique (quod inhumanum plane eſt) qui incidiſſent, aut aſsidentibus curantibusq; non paucis eadem ſivi morbi repletis ſimul moriendum eſſet. Quotieſcunque autem veſtram hanc urbem lues hæc afflixit, toties Prudentiſ-
ſimus,

ſimus, Ampliſsimuſque Magiſtratus ei obviã ire, ac civibus ſuis, quantum poſſet, ſuccurrere nõ deſiit. Hinc ejus rogatu anno 1600 Doctiſsimum de Peſte Tractatum cõſcripſit publiciq; juris fecit Celeberrimus in veſtrâ Academiâ Medicinę Profeſſor Ioannes Heur-

Heurnius p. m. Eodem ferè tẽpore de eadem materiâ Vir Clarissimus Celeberrimusque Petrus Paawius p. m. Anatomices Botanices ac Medicinæ Professor in eadem vestrâ Academiâ. Auditoribus suis tractatum publicè dictando quæque dictaverat latius expli-

plicando propoſuit. Eum tractatum, ut & reliqua, quæ conſcripſit, opera, ut non in unam ætatem prodeſſet, ſed beneficia ſua etiam poſt ſe relinqueret, publici ſe juris facturum promiſerat: verum morte (quæ ut plurimum magnorũ virorum conatibus obeſ-

ſe

ſe ſolet) præventus, idipſum non præſtitit. Quum autem graſſante longe lateque in vicinis urbibus non tantum, ſed & provinciis, hac lue, Tractatum eum à multis deſiderari admodum ſcirem, neq; ei extrema ab Auctore manus adhuc eſſet impoſita, filium
ejus

ejus Virum Clarissimum expertissimumque Ioannem Paawium Medicum Alcmariensem rogavi, ut Autographum parentis sui mihi mitteret, pollicitus me collatis diligenter ijs quæ dictaverat cum plenioribus explicationibus, Tractatum hunc nõ tantum

tum

tum ex Auctoris mẽte, ſed verbis ipſis concinnatum publici juris facturum; quod cum ille non abnuiſſet, eum laborem lubens ſuſcepi. Videbunt ij, qui ex dictantis ore Tractatum hunc exceperunt variis locis non pauca inſerta eſſe, ſed certi ſint nihil me de meo

meo ipſi textui mi-
ſcere voluiſſe, ſed ex
plenioribus explica-
tionibus ea omnia
hauſta eſſe, ipſiſsimis
etiam, quantum fieri
potuit obſervatis au-
ctoris verbis, cui ſi
expolire hunc Tra-
ctatum ante obitum
licuiſſet, doctiorem
procul dubio plenio-
remque habuiſſent.
Quum

Quum autem non-nulla quoq; à me ob-ſervata ſint graſſan-tibus Lugduni dua-bus illis celebrioribus peſtibus, quarum à me non ſemel in ad-ditamentis fit men-tio, ea rogatu non-nullorũ huic Tracta-tui quoq; addidi. V-traque ſub veſtri no-minis auſpiciis A. A.

P. P.

P. P. Viri in lucem proferre mihi visum, quum enim in vestrâ hac urbe ea concepta, delineata, perfecta, nataque sint, ac etiam observata jure meritoque vobis debebantur. Quæ ut hilari fronte suscipiatis, ac ab invidorum morsibus tuta prestetis non dubito quin sola

ſola Paawij memoria effectura ſit. Interim vos, veſtramq; rempublicam A. A. P. P. Viri ab hac lue in perpetuum incolumem ſervet Deus. Scribebam Lugduni Bat. ſexto Kalendas Ian. cIↃ IↃ c XXXVII.

A. A. Veſtris Nominibus addictiſſimus

HENRICUS FLORENTIUS. M.D.

HENRICVS FLORENTIVS
Med. Doct.

Benevolo Lectori S.

Lector Benevole,

DIu te non remorabor, paucula te monitum volo. Tractatus hic, quod extrema manus ab Auctore non esset imposita, diu post ejus obitum suppressus fuit, nunc grassante per universam ferè Europam dirâ hac, de quâ agit, lue, operâ meâ (quantum ex Auctoris dictatis plenioribusque explicationibus fieri potuit) expolitus lucem videt. Is si gratus tibi fuerit, non dubito, quin brevi subsequuturus sit eadem formâ impressus Tractatus ejusdem Auctoris de Febribus, cujus editionem filius ejus Ioannes Paawius Medicus Alcmariensis expr-stissimus molitur.

Additamenta, quæ ad singula hujus Tractatus capita à me addita sunt, si minus fortasse arrideant, scito, festinante typographo, festinante quoque calamo à me conscripta, ac proinde pro jeiunis & abortivis habenda esse. Scriptum Lug. Bat. 6. Kal. Ianuarias cIↃ IↃ CXXXVII.

In

In Clarissimi Viri

HENRICI FLORENTII,

Medici peritissimi,

ADDITAMENTA

Ad

PETRI PAUWII,

Medicinæ Professoris eximij,

DE PESTE

COMMENTARIUM.

PEstiferas qui mille lues mortesque fatigas,
Tabida dū miserū Leida cadaver erat:
Alter & incanos Epidaurius inguine nodos,
Quæq; patent hircquis nigra venena fugas:
Nunc tua, Florenti, tradis medicamina cūctis,
Nec patriæ solum restituenda salus.
Adversus sacrumq; malum virusq; nefandum
Scilicet heu totus postulat orbis opem.
Pauwius inceptum liquit post fata libellum,
Tu facis ingenij dexteritate librum.
Expandis mollisque stilum, si deficit autor,
Quæque tibi longo tempore visa doces.
Hippocrati socias, Lector quicunque, Galenū,
Forsitan hic quicquid nescit uterque leges.
Inficiunt vario moderamine sidera terras,
Quique prius morbi non nocuere nocent.
Sit sua laus prisci quam promeruere medētes,
Laus quā promereāt secula nostra manet.

Ianus Bodecherus Banningius.



PETRI PAAW

TRACTATUS DE PESTE.

CAP. I.

Voces huic malo attributas propo-nens, earumque ſignifica-ta exponens,



AGNO huic ac divino (de quo divino freti numine methodice acturi ſumus) morbo, varia à variis attributa ſunt etyma, examine eo magis digna, quod

naturam sævi hujus affectus plæraque non parum explicent. Græcis λοιμὸς dicitur, ὀλέτριον, νόσος simpliciter, νόσος Θεοῦ, ἐπιδήμιον νόσημα, Latinis Pestis, pestilitas, pestilentia, contagium, inguina, lues, præter voces nonnullas hyperbolicas Poëtis magis quam Medicis familiares.

Λοιμὸς Græcis, Oro antiquo Scriptore teste, παρὰ τὸ λείπειν seu defectu λεῖψιν γὰρ τῶν ἀνθρώπων ἐργάζεται id est defectum hominum parit; non quod alii morbi idem non efficiant, sed quod omnium efficacissime ac violenter grassetur stragemque edat dira hæc lues. etenim hac sæviente.

Mista senum, ac juvenum densantur funera: nullum
Sæva caput Proserpina fugit.

de qua vere illud Poetæ dicetur:

Sed te quoque maxime Python
Tum genuit populisque novis incognite serpens
Terror eras.

Quamvis minus arrideat hoc etymon, quia nulla affinitas litteræ μ cum π, tamen admittendum, quum Græci, quibus ore rotundo loqui dedit Musa, mire deflectant & antiquissimus Scriptor Græcus sic statuat.

Alii quorum non aliena est ratio, λοιμὸν παρὰ τὸ λίαν μᾶν πλεονασμῷ τοῦ ο, à multum requirente seu desiderante deducunt. Etenim plurimi, grassante hoc morbo, brevissimo interdum

temporis ſpatio requiruntur, uti hiſtoriæ fide dignæ multa ſuppeditant exempla. Ex ſacris conſtat paginis ſeptuaginta hominum millia uno tridui ſpatio deſiderata fuiſſe, quum hac fera tanquam flagello uteretur juſtiſſimus Deus. Peſte quæ ſub Veſpaſiano & Commodo Imperatoribus Romæ ſæviit, decem quotidie hominum millia interiiſſe, eaque quæ Camilli tempore (quem ſecum abſtulit) duo millia quotidie deſiderata fuiſſe teſtatur in Chronicis Euſebius Eccleſiaſticus Scriptor. Suetonius in Nerone peſtilentia unius autumni triginta millia in rationem Libitinæ veniſſe; Trebellius Pollio in Galienis peſtilentiam tantam extitiſſe vel

Romæ vel in Achaicis urbibus, ut uno die quinque millia hominum perierint. Pestis Byzantinæ quæ Principis Iustiniani tempore debacchata est, vis tanta erat, ut in singulos dies quinque millia funerum daret, interdum etiam plura. Ea quæ integro quinquennio duravit ab anno 1345. pestis, dimidiam pene hominum totius orbis partem secum abstulit, ejus ævi scriptoribus testibus. Iam vero quam innumerabilis multitudo desiderata Æaci Regis tempore immani illa grassante peste, quam Ovidius Metamorphos. 7. describit versibus lectu dignis. Eaque quam Thucydides notat cum Lucretio, qua durante neminem reperire erat, quem vel

morbus, vel mors, vel luctus non attingeret; hæc initium ſumſit in Æthiopia, inde in Ægyptum promanavit totamque vaſtavit Africam: pervolavit dein in Aſiam, eamque totam pene depopulata eſt, quam incenſis ſylvis à Theſſalia Hippocrates depulit. Hujuſmodi peſtis Lotharingiam, teſte Sigeberto, anno 1089. etiam afflixit. Anno 1120. ſub Henrico quarto peſtis ſæviit, quæ tertiam hominum partem abſumſit. Iterum ſub Ludovico Bavaro itidem tertiam partem ſimilis abſumſit peſtis. Petrarchæ ævo anno 1359. ut ipſe refert, tam valida in Italiam incubuit peſtis, ut ex millenis quibuſque hominibus vix decem ſupereſ-

ſent, deſiderati nongenti nonaginta.

Non deſunt tamen qui λοιμὸν παρὰ τοῦ λιμοῦ, id eſt fame dictam Græcis arbitrentur, quod ciborum penuriæ nunquam non ferme ſuccedat dira hæc lues; uti eleganter de illa, quæ ſuo tempore Romæ orta fuit, peſte ſcribit Galenus initio libri de cibis boni & mali ſucci, cauſaque ſubeſt, quod in ciborum inopia quæcunque obvia mali ſucci homines ingurgitent, inde fit ut ſanguis totius corporis paulatim putreſcat ac malignitatem concipiat, quæ deinde contagio ſeſe diffundens plurimos è medio tollit. Hinc in obſeſſis urbibus frequentem eſſe peſtem videmus, uti hæc urbs

miſero licet Heroico tamen ſuo exemplo ſatis ſuperque comprobavit. Hoc eſt quod Græci dicunt λοιμὸς μετὰ λιμοῦ peſtis poſt famem. Aut itaque λοιμὸν παρὰ τοῦ λιμοῦ id eſt à fame deducunt, quod fami ſuperveniat, aut ob naturam vocis: nam λιμὸς indigentiam, inopiam, defectum Græcis ſignificat, magnum autem defectum hominum adfert hæc lues. Eleganter ad hanc hujus vocis ſignificationem & utriuſque affinitatem alludit Orus antiquiſſimus Scriptor græcus, inquiens λιμὸς μὲν ἐστὶν ἔνδεια σίτου; λοιμὸς δὲ ἔνδεια τῶν σωμάτων fames eſt defectus alimenti; peſtis defectus hominum. De utriuſque porro vocis λοιμοῦ & λιμοῦ confinio elegans

gans eſt apud Thucydidem locus lib. 2. oraculum enim Athenienſibus datum quum eſſet iſtiuſmodi ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ, diuque altercati eſſent num in eo carmine λοιμὸς an λιμὸς eſſet dicendum, forte in graviſſima illa & decantata peſte, omnes interpretati ſunt λοιμὸν adacti eo neceſſitate: οἱ γὰρ ἄνθρωποι, inquit, πρὸς τὸ ἔπαρχον τὴν μνήμην ἐποιοῦντο, quo loco addit prudentiſſimus Hiſtoricus, veriſimile eſſe ſi ſucceſſu temporis invaderet Athenienſes bellum Doricum, contingeretque famem eſſe eodem tempore, omnes ſine dubio non λοιμὸν amplius, ſed λιμὸν in carmine cantaturos.

Etiam ὄλεθρον Græcis hoc

dicitur malum ab ὄλλυμι quod perdo, pessundo, quod multos perdat truculenterque abripiat hæc fera.

Iisdem & ἐπιδήμιον νόσημα, quibus morborum alij statuuntur dicunturque σποράδες, alij vero κοίνοι. Σποράδες sparsi, quum plures naturæ diversæ morbi simul uno eodemque grassantur tempore. uti si hunc corripiat cephalalgia, phrenitis, illum dysenteria, alium hydrops, illum nephritis. κοίνοι & πάγκοινοι communes quasi dicas, sunt certi morbi & singulares, qui alicubi vagantur, multosque æque simul corripiunt. Hos bifariam iterum dividunt in Endæmios & Epidæmios.

Ἐνδήμιοι, patrij, vernaculi, Inqui-

quilini Latinis, morbi ſunt alicui loco, quam alijs magis familiares: ſicuti Athenis podagra, Lucretio teſte. Elephantiaſis Ægypto, Bataviæ noſtræ ſcorbutus.

Ἐπιδήμιοι vernaculi, vulgares interpretibus, communes quidem etiam ſunt morbi & à communi cauſa nati, non tamen patrij & familiares, ſed externi potius & adventitij. Hi iterum bifariam dividuntur in λοιμώδεις καὶ μὴ λοιμώδεις. λοιμώδεις contagioſi ac peſtilentes ſunt: μὴ λοιμώδεις minoris ratione à prioribus differunt, quum peſtilentialibus ſint mitiores. Ita ut cum ἐπιδήμιον νόσημα dicunt Græci, intelligant aut peſtem ſimpliciter, aut morbos qui plu-

res uno eodemque tempore inſtar peſtis corripiunt.

Etiam νόσ☉ ſimpliciter & ſine adjectione Græcis hoc dicitur malum κατ᾽ ἐξοχὴν nimirum, quod cum omnium morborum natura ſit humanam evertere, hic hoſtis id omnium efficaciſſime agat, adeo quidem plurimos uti, priuſquam ſe ægrotare ſcirent, proſternat, loquentes etiamnum, incedentes, ſolitaque obeuntes munia interdum haud aliter ac ſi fulmine tacti eſſent, obruit, quemadmodum in Gallica illa anni 1534. peſte ſe obſervaſſe ſcribit Valeriola, quum alioqui in illis nec pulſus exitialis, nec urina mala, nec vix ulla adverſæ valetudinis nota appareret. & in Italica

lica Salius, qua ac si venenum haufiſſent ſubito corruebant homines, ne præcedente quidem aliqua notabili alteratione, nec poſt mortem ſubſequente ullo peſtilentis affectus ſigno.

Etiam νόσος θεοῦ morbus divinus hoc Dei flagellum Græcis ſubinde vocitatur, aut quod Dei juſtiſſima ira, hac tanquam vindicta ſæpe utatur mortalium exorbitantibus delictis coërcendis puniendiſque, unde videre eſt varijs ſcripturæ ſacræ locis, hujus luis tanquam imminentis pœnæ fieri mentionem, imo effectum non ſemel conſequutum, uti Exod. 5. Num. 14. Deuter. 28. Prophet. Hierem. cap. 14. Ezech. 5. & 14 & Reg. 2. cap. 24. ubi Davidis exerci-

tum breviſſimo temporis, ſpatio adeo vaſtavit Dei juſſu ſacra hæc lues, 70. hominum millia uti abſorbſerit. Aut hoc elogio notatur à Græcis, quod divini quid in ſe habeat. ejus non uno loco meminit Hippocrates, ut qui nullum non morbum interdum *τὸ θεῖον* quid ſecum adferre poſſe ſentit, ideoque tam 1. prognoſt. quam ſect. 1. de Nat. muliebr. & lib. de ſacro morbo medicum monet, diligenter uti, num divini quid is habeat morbus, perpendat. At quidnam divinum vocat, divinus ille ſcriptor? quod totius ſubſtantiæ, quod formæ vitium, quod occultum Doctiſſimi quique Neotericorum, nempe extraordinaria ejuſmodique inſueta quod indu-

inducit ſymptomata, quæ medicum aſtanteſque admirabundos non perturbant ſolum, verum inſuper methodicis remediis quę non parent, ſed omnem Medici opem eludunt, & quibus compeſcendis divina virgula opus videatur, uſitatum antiquis inſolita, quæque θαυμασίαν pariebant divina vocare. ita namque caput ſacram ac divinam vocabant Palladis arcem, quod admirandas inde proficiſci cernerent actiones. Epilepſiam licet nunc ſatis ſuperque exploratam, morbum ſacrum, quod admirationem incuſſerit ac etiamnum incutiat iis quibus ejus natura non ſatis explorata. At vero utrumque in peſte adeſſe probatione non eget. Methodi nam-

namque regulis non paret, quum licet vel ardentissimam secum trahat febrem, calida nihilominus sudorifica exposcat remedia. Iam vero symptomata quæ sæpe infert, proh Iupiter, quam admiranda ea? dum hunc loquentem ac comedentem subito dejicit, illi vel momento temporis mentem evertit alienaque loqui ac facere cogit. Huic sanguineum toto corpore excutit sudorem, testibus Georgio Agricola lib. 2. de peste & Conrad Lycosth. lib. de Prodigijs (*a*.) Cardanus lib. 2. Subtilit. Byzantinam pestem id insolitum ac admirandum secum traxisse refert, ut tam qui laborarent, quam quibus morbus imminebat viderentur ab alio ho-

homine cædi. nonnulli ob immanem ſitim in puteos ſe præcipitabant. Et de ſui temporis peſte Thucydides, quod ea corpora ſic ureret, ut membra putrefacta intra paucos dies deciderent, in alijs capita, in alijs brachia, in alijs pedes. Nonne admirandum, tantam contagij hujus mali eſſe vim, ut etiam plurimis poſt annis ſeſe propaget ejus latitans ſeminarium? ejus tamen probatæ fidei hiſtoriæ ſunt apud Alexand. Benedict. de peſte cap. 3. Trincav. Conſilior lib. 3. 17. Foreſt. Schol. ad obſerv. 22. lib. 6. de Feb. ut quotidie obvia omittam.

Latini Peſtem, Peſtilitatem, Peſtilentiam vocitant hoc malum, *quaſi paſtulentiam teſte

Isidoro lib. 4. cap. 6. quod immanissimæ feræ instar humanum genus depascendo absumat.

Ijsdem contagium à contingendo, quod quem contigerat, polluat. Etiam inguina ab inguinum pollutione. Et lues à labe & luctu eodem Isidoro teste.

ADDITAMENTVM.

(a) *Ita visi mihi nonnulli hic Lugduni præcedenti anno nimirum* 1635. *præsertim dum vehementissime sæviret pestis, qui dira hac lue correpti, non nisi purum mingebant sanguinem, alij primo statim invasionis die, alij secundo aut tertio, idque præ sola maligni-*

gnitatis violentia, nulla alia causa, quæ sanguinis mictionem causaret, existente.

CAP. II.

Pestem definiens partesque definitionis singulas sigillatim explicans.

PEstem à depascendo dictam statuo esse malignam, sævam acutamque intemperiem, quæ totius substantiæ dissidio calori nativo spiritibusq; adversa primario cordis, secundario reliquarum partium totiusque corporis functiones lædens, pravis symptomatis hominem fatigat ac prosternit, contagioque se diffundit.

Intemperiem esse dico, qua vocula genus hujus morbi exprimo. Morbi dico, nam qui in-

intemperiem functiones læden-
tem dicit, is morbum dicit.
Ad intemperiei autem morbos
quod peſtem referam duplex
mihi ratio. Prior, quod tria ſo-
lutnmodo morborum antiquis
probatiſque medicis quûm ſta-
tuantur genera, organici, com-
munes & intemperati qualita-
tibus manifeſtis, ad neutrum
priorum referri poſſit hæc la-
bes: nulla etenim evidens ſen-
ſibuſque percepta continui ſo-
lutio cor infeſtat in peſte; nec
quoque in magnitudine figu-
rave laborat vitiata; nec loco
ſuo motum eſt nec obſtrûctum.
Altera ut lumen illud non Gal-
liæ ſolius, ſed totius Europæ
Fernelium reliquis medicis
Scriptoribns conciliem, quos
ete-

etenim ille in parte ſtatuit ſimilari immoderatæ materiæ & formæ morbos, ſi vocemus morbos intemperatæ materiæ intemperatæque formæ (formæ voce non in anguſtà illâ ac vix explicabili Philoſophica, ſed benigna ac potius medicâ ſumptâ ſignificatione) non ita dura omniumque pene incurſionibus obnoxia erit magni illius Scriptoris ſententia; quid enim, nullam ne qualitatem præter receptas manifeſtas notaſque admittemus? Quanam itaque qualitate ſpecifica vocata agent venena? qua vi theriaca ac alexipharmaca?

Naturam eſſentiamq; peſtis colloco in intemperie, non tamen calida, quum nullæ ſæpius calo-

caloris notæ in peſtiferis appareant (non etenim neceſſario ſemper febrem comitem habet peſtis) nec frigida (de paſſivis qualitatibus nihil controverſi) qutum admodum æſtuantes frequenter hac lue tacti conſpiciantur.

Qualis itaque? malignam dicit hanc eſſe intemperiem definitio, id eſt, inſuetam inſolitamque, cujus natura difficulter ac vix explicari poteſt; quam alijs verbis excellentem venenoſam, divinam, occultam, formalem, κακοήθεα cum Galeno vocare poſſis, utpote in qua benignus ille, blandus, mitis, naturæque humanæ amicus nativus calor tantâ putredine tactus inquinatuſque eſt, ut veneno

neno proximam gerat naturam; aut talis intemperies, quæ tota ſua natura humanæ naturæ inimica exiſtit.

Sed anne fieri poteſt, ut tam alienâ pravâque intemperie corripiatur calor nativus dicat quis ? id ipſum ſane accidere poſſe ſequentibus oſtendetur. Quod ſi fœda malignaque fuerit parte locove aliquo corporis materia, quæ inde vapores malignos ad cor vitæ fontem effundat, non ſolum vitalis auræ domicilium, verum illa ipſa malignitatis cujuſdam non vulgaris fiet particeps, quemadmodum in cordis palpitatione genitâ a lienis aut uteri exhalatione quotidie fieri cernimus, tum & a vitioſo fœdoque ſangui-

guine ex vitiosis fœdisque genito alimentis quem ei suggerit jecur, aut à continuo afflatu putridæ venenatæq; auræ, quam nobili huic visceri afflat Phtisicus ulcerosus pulmo, quod licet integrum sit tamen malignitatē aeri inhærentem velit nolit ei communicat, quod eandem labem imprimit vitali calori.

Qui tamen sua sponte ac immediatè tam in qualitate quam substantia interdum malignam fœdamque contrahit intemperiem, tum nimirum, quum validè obturantur (sive id fiat obstructione sive adstrictione) pori & spiracula arteriis insculpta. Hinc etenim quum ventilanti aeri non pateat aditus, calor spiritusque vita-

vitalis ſitum corruptionemque contrahant neceſſe eſt, nec vulgarem illam, verum malignam ac divinam; quum ea natura purorum temperatorumq; ſit corporum (inter quæ calor nativus excellit ſane) ut ſi alterentur, multo reddantur vitioſiora vulgaribus. cauſam puto efficaciam ac magnitudinem cauſæ agentis, quâ adeo affliguntur, ut priſtinam velut formam deponant; exemplo ſit homo, cui conſtitutio corporis temperieſque temperatiſſima data quum ſit, ſi putredine corripiatur, virulenta fœdaque ea magis exiſtit, quam alterius alicujus animantis putredo: documento eſt fœtor ab humano emanans cadavere. quidnam quæſo fœdum

magis molestumque excitat halitum, quam panis mica carbonibus injecta? quum tamen sit alimentum temperatum omniumque maxime humanæ conveniens naturæ. Consistit itaq; suamque habet essentiam pestis in intemperie; non tamen simplici sed malignà.

Qualis ea? quæ totius substantiæ dissidio calori nativo spiritibusque adversatur, dicit definitio, id est, quæ tota sua natura humanæ naturæ adversa ac inimica existit; cujus malignitas adeò efficax, ut caloris non qualitatem tantum, sed ipsam substantiam seu formam ita affligat, difficulter uti integritatem suam consequatur. Substantiæ ac formæ vocem sobrie ac mo-

modeſte, non tam in anguſtâ illâ vixque explicabili Philoſophica quam medicâ ſumendo ſignificatione, quibus calor miſtum quid ex puriore elementorum quatuor eſt portione, qui ex miſtione qualitatum elementalium temperamentum κατὰ σχέσιν, ſubſtantiarum elementalium illud quod κατὰ ἕξιν vocat Galenus, conſtitui dicunt, utrumque mutabile, uti corporum mutationes, quas ætates adferunt, teſtantur.

Cor primariò infeſtat maligna hæc & ſubſtantialis intemperies, uti ait definitio: nam vitalem facultatem ut plurimum ſubitò, violenter ac celeriter opprimit, quæ a nobiliſſimo hoc pendet viſcere: venenis namque

ſimilem gerit naturam ſæva hæc vixque explicabilis malignitas, quorum natura eſt cor ex inſtituto dataque petere opera; viſcus temperatum ac blandum, hôſtes intemperati ac ſævi, validè adeo in illud agentes ſua antipatheia comburi uti nequeat cor eorum veneno qui ſublati, adeo induratur ac velut congelatur conſumta omni ſucculentia vitale hoc viſcus, teſtis Plinius lib. 11. Caput 37. Nat. Hiſt.

At quo pacto primario cor petunt venena & malignitates dicat quis? 1°. Alij inter quos Galenus videtur. 1. De Semin. 16. ideo illud fieri putarunt, quod inſtar lucis ſeſe ſtatim per corpus fundant venena ad

ad cor uſque, ut ibi confirmata celeriter pulſu motuque arteriarum per corpus ſeſe poſſint diffundere.

2. Alij à corde ſtatim attrahi venena voluerunt, ſi quæras an ratione ſimilitudinis, an vi vacui; reſpondent vacui vi, nimirum unâ cum fuliginibus aeris, quas cor indeſinenter attrahit. Galenus ad aph. 41. ſect. 2. de quadam refert fœmina, quæ in balneo fuligines venenatas unâ cum aëre per arterias in cor traxerat. Verum hanc reſponſionem non ſatisfacere quæſito mihi videtur, nam hac ratione etiam non venenoſa à corde attrahuntur.

3. Accedunt, qui hoc pacto illud fieri autumant, quod in

omnibus corporis partibus locisque insignis sit copia spirituum vitalium; quibus cum venena adversa sint, fit, ut illi hoc fugientes, ad cor tanquam propriam tutissimamque se recipiant sedem illudque veneno quo ipsi sunt infecti inficiant ac coinquinent. Verum huic sententiæ nonnulla adversantur. 1. Si spiritus vitales infecti ac a veneno inquinati statim ad cor confugiunt, quur non prius partes locaque intermedia per quæ feruntur, inquinant? 2. Quur infecti à veneno vitales spiritus non potius ad locum veneni, quam ad ipsum cor confugiunt? nam omnia quærunt sibi similia.

Dixerim ego, summam antipatheiam & dissimilitudinem

cau-

causam esse, quod venena cor petant. inducit me, ut, quod dico, credam, quod venena nonnulla reperiri videam, quæ non tam cordi, quam certis nonnullis alijs partibus infesta sint. Etenim cantharides venenatâ suâ naturâ vesicam maxime & potissimum petunt, lepus marinus pulmonem; hyoscyamus cerebrum. Hæc antipatheiæ sive inimicitiæ latentis fieri ratione manifestum est, idemque de venenis in genere cor infestantibus dicendum arbitror. Probaverim & quod dico eo argumento, quod cor ita muniri possit contra venena, ut, licet vel largâ assumantur manu, cor tamen non offendant. Vnde hoc? quod cum nullum agens agere

poſſit abſque patientis aptitudine ſeu diſpoſitione, licet vel maximam cum corde ἀντιπάθειαν habeat venenum, non tamen illud offendet, quum cor munitum alexipharmaco tantum valeat reſiſtendo, quantum veneni malignitas agendo. Nota eſt Mithridatis Ponti Regis hiſtoria, qui ob continuum mithridatij uſum à veneno offendi non poterat, teſte Plinio capit. 2. lib. 25. Idem in iis fit, qui occultâ quadam ac incognitâ ratione id à nativitate habent à venenis uti non offendantur. Scribit Sextus Empiricus 1. Hypotheſ. Empiricar. de ano quadam, quæ cicutæ dragmas triginta ſine ulla offenſione devorabat. Similiter Lyſidem quendam

dam fuiſſe, qui dragmas quatuor opij ſine læſione comedebat. Ita Athenagoras Argivus à ſcorpionibus nunquam lædebatur. Ita puella veneno nutrita ad Alexandrum magnum miſſa, ut eum inficeret.

Parenchijma itaq; cordis carneum in hoc morbo potiſſimum ac primario laborat; à quo vitalium quum pendeat productio, illa malignitate hac reſperſa, arteriis mediantibus ex hac pandora in uniuerſum quum fundantur corpus, non malè ſecundariò totum corpus in peſte laborare ait definitio; eſt namque morbus univerſalis.

Anne febris? vulgaris febris non eſt, ut quæ aut qualitatem caloris alterat, aut putredine tin-

git, quorum neutrum interdum in peste.

An maligna febris? nec illa, nam a fervore nomen quum habeat, isque sæpe in peste nullus depræhendatur, non video quomodo pestem febrem dicere possimus.

Forte adest semper febris aut vulgaris aut maligna? comitatur frequenter ac ut plurimum, sed tanquam symptoma, illudq; separabile, est enim sua cuique essentiæ ratio ac origo, pesti ex malignitate seu veneno, febri ex calore. Hæc opinio ne cui scrupulum relinquat, plenius idipsum, quod dico, probabo, nimirum pestem dari posse fierique sæpe sine febre. Hipp. Epidem. 3. recensens in austrinâ constitu-

tione pestilentes affectus, eorum alios febrem adjunctam habuisse dicit, febris vero expertes fuisse alios. Idem. Gal. Com. in aph. 55. & 60. dicti libri inculcat. Idem conceptis tradit verbis 9. Simplic. Cap. de terra Samia, jubens in peste exhiberi Armeniam bolum ex vino albo leptomero, siquidem febris absit, sin febricitet æger dilutum vult esse vinum Quod horum Scriptorum authoritas, idem dicit ratio, idem experientia. Ratio, etenim ab aëre sæpe fit pestis, at vero is non semper putredine aut evidenti intemperie calida tactus est, sed malignitate naturæ caloriq; nativo inimica. Idem dico de humoribus corporis, qui insolitâ

tacti intemperie pestem subinde excitant, sed febris expertem. Hæc ne cui difficultatem pariant, is venena consideret, quæ cum validè cor affligant, multa tamen eorum febrem ne moverunt quidem. Idem asserit experientia; quum interdum nulla magni insolitique æstus nota in pestiferis appareat, nec in urina, pulsu, siti, nec respiratione: quum tamen à fervore illa nomen habeat.

Sed insurgunt hic nonnulli, mordicus tanquam pro aris & focis id probare volentes, nunquam sine febre fieri darive posse pestem, idque primo authoritate Hippocratis, qui lib. de flatubus febrem dividit in communem & particularem, com-

communem febrem dicens ab omnibus vocari peſtem. At verò quomodo ex hoc Hippocratis loco ſequatur, febrem eſſe inſeparabilem à peſte: etenim idem eſt ac ſi dicerem, morbi omnes aut ſunt acuti aut longi, acuti ſunt graves & periculoſi, hincque concludere vellem omnem morbum gravem ac periculoſum eſſe acutum.

2. Quod Paulum, Aëtium, Avicennam, Rhaſem, omneſque penè qui de peſte ſcripſere, dicant tractatu de febribus ejus tradere hiſtoriam, ac proinde eos in ea fuiſſe ſententiâ, quod peſtis nunquam ſine febre eveniat. Reſpondemus id ideo factum, quod ſæpe ac frequenter febrem comitem habeat, nec id

negamus; verum non necessario semper adesse febrem, nec eam de essentia esse pestis hoc contendimus, ut hac de causa ejus in definitione mentio fieri non debuerit.

Instant 3. pestem morbum esse acutissimum, at omnis morbus valde acutus febrem junctam habet: negat assumtionem Gal. ad aph. 19. 2. & 31. 5. epilepsiam, apoplexiam, cōvulsionem morbos acutos proferens febris expertes.

Addunt 4. pestem ex putredine circa cor accensâ provenire, sicuti etiam febrem; quorum prius negatur, quum non semper in humoribus, ast calorē & spiritibus hic sit vitium. Verum quidem est, putredine dis-

ſolvi miſtum, non tamen omnis miſti diſſolutio à putredine fit. Diſſolvitur miſtum aut ab externâ aut internâ causâ: quæ intus fit, ſubito aut paulatim fit. Si ſubitò, violenta dicitur extinctio, cauſam habens aut caloris oppreſſionem aut diſſipationem. Si paulatim, marcor & maraſmus vocabitur. A causâ extrinſecus adveniente quæ fit, cauſam agnoſcit calorem aut frigus: ſi ab extremo frigore ſuffocatio dicitur aut σβέσις: ſi à calore, aut καῦσις ſeu uſtio dicitur, aut σῆψις hoc eſt putredo.

Peſtem contagio ſe diffundere addit definitio, id eſt, ejus eſſe naturæ, ut ea correpti alios etiam ſanos inficiant, adeò qui-

dem

dem ut hinc contagium à Latinis interdum hoc dici malum dicat caput primum. Contagium voco, communicationem morbi factam à corpore in corpus. Communicationem dico, non translationem; nam quod è corpore transfertur ibidem non permanet, quum cōtrarium fiat in corpore inquinato aliud inquinante. Morbum quum communicari dico, causam morbi intelligo, quæ morbum consimilem protinus gignit ac producit, tum nimirum, si in corpus incidat aptum, præparatum & dispositum, ut ab agente affici possit causa.

Duo namque ad contagium necessaria existunt. 1°. ut duo diversa corpora in eodem com-

municent morbo; alias qui infeſtatur aliquo affectu, ſi non hac ratione, ex contagio laborare dici non poterit, haud aliter ac quis à ſerpente veneno tactus, ex contagio non tactus dicitur: licet enim venenoſus ſit ſerpens, venenatus tamen non eſt, nec veneno laborat; ita etiam cum à torpedine manus piſcatoris haſtâ piſcem tangentis ſtupore corripitur, eam ex contagio affectam eſſe cenſendum non eſt; nam licet torpedo ſtuporem pariat, ipſa tamen ſtupore non tenetur. At verò contra is qui à cane rabido morſus rabie corripitur, dicetur contagio tactus, quoniam & in homine & in cane idem ſpecie morbus, videlicet rabies reperitur,
quæ

quæ ab altero ſubjecto in alterum mediante contagio producitur.

2. Idonea communicationis occaſio: ad quam tria requiruntur. 1°. efficacia major agentis quam patientis; videmus etenim deleteria venena licet in ſuâ naturâ nocentiſſima ſint, nec à calore noſtri corporis ſuperabilia, ſi parvâ ſumantur quantitate, nullam evidentem parere noxam: haud aliter ac ignis, licet omnium agentium maximè ſit activus, ſi ejus unica tantum eaque parva ſcintilla corpus tangat, illud aut non aut vix uret: 2. Diſpoſitio ſeu præparatio patientis, quum nullum agens efficere quid poſſit ſine patientis aptitudine, uti ſuo probavit

bavit exemplo Mithridates rex, uti Pyrrhi digitus, qui igne cremari non potuit, uti Marsi & Phylli à serpentibus immunes. *Teste Plinio nat. Hist. lib.* 28. *cap.* 3.

3. Tantum tempus uti simul sint, ut ad invicem agere patique possint. Nam licet ad sævam hanc acutissimamque malignitatem diuturnitas non requiratur, aliquâ tamen temporis morâ opus est; quum etiam per flagrantissimam si manum ducas flammam, non te uret, si velociter & quam citissimè trahas brachium. Hæc si concurrant, certissimo communicabitur contagio unius morbus alteri, idque aut per qualitates primas, secundas, uti in putredine, aut occultas, uti in peste.

Quibus tamen transferendis vehiculo ac subjecto est opus: quod ipsum in nonnullis morbis corpus est solidius, uti in scabie, lepra, lue venerea: aut vapor seminariumq; insensile, sicut in elephantiasi, ophthalmia, phtisi, variolis, morbillis, peste. Hi etenim maligni affectus miasmata quædam sensibus incomperta emittunt, quæ simulac aliud ingressa fuerint corpus, in eo eundem producunt morbum, corporis si adsit ad recipiendum dispositio. Hoc est, quod ad hujus quæstionis solutionem adducit Lucretius & post eum Fracastorius dicentes: in peste varia & diversa vagari seminaria, quæ pro ut his illisve amica aut inimica existunt,

ſtunt, ita etiam modo hunc modo illum, inficiunt. Elegantiſſimè rem explicat Hipp. lib. de Flatibus dicens diſtare corpus à corpore, nutrimentum à nutrimento, hincq; mirum non eſſe, ſi eadem omni animantium generi commoda incommodaque non ſint. Eadem quoque ratione convenientia illa & diſconvenientia μιασμάτων ſeu inquinamentorum eadem omnibus regionibus hominibuſque non eſt, ſed quod eſt amicum uni, alteri poteſt eſſe inimicum, & è converſo. Ita ſcribit Euagrius & Nicephorus Calliſtus in illâ ſcilicet graviſſimâ peſtilentiâ nonnullos fuiſſe infectos ex ſolâ inſpectione intra domos infectas: nonnullos qui

optabant mori, non tamen potuisse tentari, licet non solum conversarentur, degerent, contrectarent, sed quoq; concumberent cum pestiferis. Ita Dionisius Halicarnass. lib. 4. Histor. Romanor. scribit in illâ peste solum virgines & prægnantes fuisse correptas. contra in eâ peste quæ ætate Gentilis Medici grassata fuit, paucæ mulieres, sed non nisi viri robusti tollebantur. (*a*)

ADDITAMENTVM.

(a) *Pestem non semper esse univsmodi sed diversissimæ sæpe conditionis, præter eas quæ ab Auctore referuntur, duæ insignes pestilentiæ quæ Lugdunum Batavorum mi-*

miserè afflixerunt (prior nimirum, anno 1624. altera anno 1635) satis superque docuerunt.

Priore enim, quibuscunque apparebant bubones sive pone aures, sive sub axillis, sive in inguinibus, applicato convenienti loco vesicatorio, suppurationeque probè subsequente, iis omnes fere evanescebant, expurgata per locum buboni vicinum, cui vesicatorium erat adhibitum, non tantum ipsâ malignitate, sed & materia bubone contenta. At verò posteriore, applicato vesicatorio ac vel optimè subsequente suppuratione, victa quidem fuit malignitas ægrique magnum perceperunt levamen, interim tamen bubones ad suppurationem fere devenerunt omnes.

Præterea priore, quibuscunque fœminis

jam peste correptis apparebant menses sive stato tempore, sive extra ordinem, omnes fere moriebantur, gravidarum abortientium vix ulla evadebat, posteriore verò è contra quibus fœminis dira hac lue correptis stato tempore (imo etiam plurimæ quibus extra ordinem apparebant menses,) commodéque profluebant, plæræque evaseruntut, & non paucæ gravidæ abortientes.

Tertio, priore, quotquot peste laborantes exanthematibus purpureis, lividis nigrisve corripiebantur, moriebantur fere omnes, unum tantum eo tempore vidi qui iis correptus evasit. At è contra posteriore, non paucos iis correptos evasisse vidi.

CAP. III.

Exponens pestis causas.

Ausæ magnum hoc producentes malum duplices existunt, externæ aliæ, aliæ internæ. Externæ trium sunt generum, assumta (per os nempe) quæcunque illa demum fuerint, aer tam respiratione quam transpiratione tractus, contactus eorum qui peste laborant, id est, contagium.

Per assumta intelliguntur omnis generis cibaria vitiata, corrupta, putredine malignitateq; tacta; uti frumenta, legumina, olera, situm, rubiginem, putredinem passa, fructus horæi alteriusve generis vel corruptione

tacti, aut ſaltem ad corruptionem proclives ob humidam flaccidamque conſiſtentiam; animalium ſponte exſtinctorum carnes, aut etiam mactatorum ſale non bene munitæ.

Etiam vitiatus potus, ſive fuerit vappa, vinumve corruptum, aut ex uvis malignitate reſperſis expreſſum. Sive cereviſia ex corruptis, fœtentibus vitioſiſve aquis aut frumento ſimili cocta ac parata, aut etiam ejuſmodi, in quas cloacæ urbiumve aut alicujus loci excrementa ſe exonerant; Tum etiam veneno infectis, quales eæ in quibus maceratæ ſint ſtirpes, fructus ſimileve quid, quod vitioſæ malignæque qualitatis particeps eſt, uti cannabis, linum, buxus, braſ-

ſica,

ſica, iſatis, ſimiliave. Nobile hac de re exemplum eſt apud Petr. Penam in Adverſar. qui Marchionem Arboium, Guiſiorum fratrem ejuſque uxorem & multos ex domeſticis obiiſſe teſtatur ex uſu aquæ in qua cannabis macerata fuerat, eorum nemo, inquit, quamvis efficaciſſimis exhibitis antidotis, ſervari potuit.

Narrat in Phocicis Pauſanias aquâ helleboratâ Cirrhæos ab Amphyctrionibus fuiſſe expugnatos. Cum etenim Solon hellebori radices plurimas in Pliſtum conjeciſſet amnem, ubi ſatis infectam medicamento aquam intellexit, quam prius in urbem influentem averterat aquam, in priſtinum permiſit influere alveum; quam avidius

quum obſeſſi hauſiſſent, alvi perpetuo fluore correpti mœnia deſerere, Amphyctrionibuſque urbem tradere coacti fuere. ſane eſculenta potulentaq; malignitate ſi reſperſa fuerint, neceſſario talem producunt ſanguinem, qui cordi per venam cavam affuſus non poteſt non œconomiam cordis vitaliumque evertere.

Aer ſecundo loco in hunc venit cenſum, is namque alteratus non uno modo peſtem dare poteſt, aut qualitatibus primis, aut ſuſceptis intra ſe fœdis exhalationibus, aut denique in propriâ ſubſtantiâ detrimentum paſſus.

Qualitatibus primis, ſi namque immodicè aliquot menſibus annive partibus æſtuet, flagret-

gretque, evocat diſſipatque calorem nativum, cujus locum occupans calor alienus in malignos corpora morbos præcipitat, ea potiſſimum, quæ ob cacochymiam vitioſitatemque jam ante diſpoſita huic fuerint malo. Idem tum fiet, cum ſubitaneas patitur mutationes, ut ſi præcedente hyeme ſicca & aquilonia ver ſubſequatur pluvium ac auſtrinum: tum namque ſubſequens æſtas morborum non ſolum ferax eſſe ſolet, ſed etiam peſtem non rarò excitare; uti apud Hippocratem videre eſt lib. Epid. 3.

Idem efficiet exhalationibus fœdis malignisque fœdatus ac contaminatus aer, teſte Galeno Comm. 2. in lib. Hipp. de nat.

hum. ad text 4. Scribit Diodorus Siculus lib. 14. duo potissimum in causa fuisse, quod Carthaginensis illa pestis incrementum sumserit, insepultorum corporum fætorem, putridasq; stagnantium aquarum expirationes. Lernæ incolæ locum illum quum exsiccassent, gravis orta fuit pestilentia. Balæna in Tuscum littus Parei tempore ejecta, (*teste Pareo lib.* 21. *Cap.* 3.) malignâ suâ exhalatione pestem universæ intulit regioni. Nec malo instituto Toxaris medicus Athenas à peste liberavit, jubens vias angiportusque urbis omnes probe mundari vinoque respergi. Ingenioseque olim Acron Agrigentinus & Hippocrates ignis vi purgato ab hujus-

modi

modi inquinamentis aëre, pestem depulerunt.

In propria substantiâ detrimentum si accipiat aër, omnium truculentissimam dabit pestem, utpote deponens benignam illam suam, quâ ad tutelam præsidiumque nativi caloris comparatus est, naturam, induensque corporibus nostris infestam ac inimicam intemperiem: de infimo hoc aëre, corpore misto quem respirando trahimus reddimusque mihi sermo, non de simplici puroq; elemento, quod cogitatione potius quam rei veritate assequimur: nec tamen omnibus sui partibus hunc corrumpi existimandum est, quum nullum supervivere posset animal, adeo ad vitam necessaria

hæc aura: non ſit venenum, uti nonnulli loquuntur, ſed venenatam tantummodo adipiſcitur naturam, per quam idoneus redditur corruptioni productioniq; veneni in diſpoſitis præparatiſque ſubjectis.

Corruptio hæc aeris in propriâ ſubſtantiâ plures agnoſcit cauſas. Etenim ab excellentibus temperieique limites excedentibus qualitatibus primis hæc ei macula inuri poteſt; haud aliter ac vehementiſſimam inflammationem partes in gangrænam, hoc eſt, innati caloris corruptionem conijcere videmus: Etiam virulentæ malignęque exhalationes aërem inquinantes eiq; diutius permiſtæ hanc labem excitabunt, quum à veneno tacta

membra gangrænam incurrere certum ſit. Valida quoque putredo idem efficiet, ut quæ miſti, quatenus miſtum, diſſolutio eſt, id eſt, corruptio. Hanc excitat ut plurimum æſtuans calòr ſubitanea mutatione humidæ ac auſtrinæ aëris conſtitutioni ſuperveniens. Etiam infauſti aſtrorum aſpectus, corporumque ſuperiorum infelices influentiæ hanc in aërem invehent corruptionem. quod cum dicimus, aut cum Ptolomæo ac Mathematicis loquimur, aut ſuperiora illa nobiliſſima corpora aërē per accidēs inquinare volumus, quatenus nimirum ſuis viribus ſolem aut impediunt quominus debite purgare poſſit aërem, aut eum nimium accendūt. ita Poëtę

Apollinem ſagittis ſuis de cœlo immittere terris peſtem ſcribunt. nam juſtiſſima juſtiſſimi Dei vindicta hoc flagello interdum ad coërcenda hominum utitur mala.

Externarum cauſarum tertiam ſtatui contagium, de cujus natura dictum Capite ſecundo.

Cauſæ peſtis internæ duplices, Antecedentes & Continentes. Inter antecedentes connumeranda venit cacochymia prava & maligna, quam humores ex iiſque genitus calor cum ſpiritibus, ex aſſumtis fœdis vitioſiſque conceperunt. Galenus 6. Locor. Affector. Cap. 5. venenum interdum in corpore provenire ſcribit hac ratione. Etiam plethoram inter haſce cauſas

con-

connumerandam censeo, quum nimia sanguinis copia calorem nativum opprimat & ad corrũpendum disponat. Obstructio quoq;, arteriarum potissimum: hæc namq; si adsit (non etenim necessario semper in peste; uti nec plethora, nec cacochymia, nec cæteræ internæ antecedentes, adest) citius è medio tolletur æger. Geniturae nimia profusio, spirituum dissipatione corpus enervans, viresq; (quas omnino integras in magno hoc oportet esse morbo) frangens, etiam in harum causarum numerum venit. observatum est pestis tempore, venereos omnium efficacissimè sublatos. nec mirum: quum namque,

Non ulla magis vires industria firmet,
Quam venerem & cæci stimulos avertere amoris,

Robore autem hic opus sit, ut tam potenti ferocique hosti resisti possit, efficacissima hæc fuerit causa quæ corpora disponat imo exponat ludibrio victorięq; hujus feræ.

Seminis pertinax retentio suppressioque caloris nativi oppressione viriumque dejectione idem causabunt malum. nec frustra Martem graviter decumbentem à venere curatum fingit Homerus; quæ tamen intra modestiæ ac castitatis limites se contineat. mensium quoq; suppressio, corruptio ac intra corpus regurgitatio disponens esse poterit ad pestem causa. uti continens

tinens ac proxima, concepta corruptio malignaq; intemperies in corde.

ADDITAMENTVM.

(a) *Sunt qui inter causas externas (non quidem primarias sed adjuvantes) numerant metum terroremque de pestilentia conceptum; non quod metus iste terrorve venenum pestiferum in corporibus producat, sed quod ij (inquiunt) qui naturâ sunt timidiores grassante pestilentiâ audito nonnunquam parentum, amicorum, aut etiam promiscuæ multitudinis interitu, pestilentes morbos, perterriti ac tremebundi, promtius imaginentur altiusq; animo concipiant, iisq; illi ipsi ex facili prehendantur. Tan-*

tamque

tamque vim esse tam vehementium imaginum altiusque animis humanis insidentium cogitationum ut plærumque corpora ipsa immutent, inque ea sui notam cum pernicie non obscurè inurant. Addiderim ego, quod præ nimia animi consternatione, mœrore terroréve commoti subito spiritus humoresque, veneni hujus labem facilius suscipiant, aut etiam si quid jam ante conceptum fuerat, idipsum jam promtius ac facilius erumpat, morbumque causet. Quidquid sit, certum hoc est ac indubitatum grassante hac lue, non paucos qui pancraticè valere videbantur, præ subita animi consternatione terroréve, ac nimio etiam luctu, subito peste correptos fuisse brevique interiisse.

CAP. IV.

Quibus notis pestis sese prodat.

PRimaria ac pathognomonica hujus mali nota; τὸ θεῖον illud est quod essentiam ejus comitatur, inexspectata nimirum, incognita, medendique methodum aspernantia symptomata.

Frequenter cum somnolentia dormiendique cupiditate invadit incipitque hic morbus, tum potissimum ab aëre maligno, exhalatione contagiosâ quum incipit, incipit autem ut plurimum. causa est, quod infectus quem respirando trahimus aër non universus cor, sed per nares odoratoriosque nervos non mi- 1.

nimâ ſui parte cerebro ſe infundat; quod ob caloris defectum non uti cor potenti huic hoſti reſiſtere poteſt. aut quod ob afflatum contagioſi aëris cor tactum, inquinatum calorem per carotidas arterias cerebro infundat, quod viſcus citius quam regium illud theatrum fatiſcit affligiturq; ab inexſpectato illo hoſte. non eſt enim quod hinc quis concludat, peſtem non eſſe morbum cordis primarium, quum in eo licet hæreat labes non adeò tamen ſubitò appareat, apparet tamen paulatim pulſus immutatione, totiuſque corporis cita ac præpropera dejectione. Etenim feſtina virium proſtratio ac languor non obſcurum peſtis ſignum, nam illud divi-

divinum quid, id eſt, inſolitum ac extraordinarium hic adeſſe teſtatur.

Accedit ſignum tertium, pulſus frequens ac cōcitatus. quod in peſte ſemper adeſt, licet etiam non adſit febris: natura etenim in magno hoc malo, à quo efficaciſſimè ſe expugnari ſentit id facit quod methodicus Medicus, qui ſicut extremis morbis extrema protinus adhibet remedia, ita in ſupremo hoc affectu, quem omnes intēdere nervos experitur, ut facultatem vitalem evertat, ſupremo ſummoq; conatu ſe accingit, ut malignitatem ac venenoſitatem ejus excutiat. quod ipſum unico ictu cum nequeat, repetitis frequentioribuſque annititur viribus; 3.

nec

nec tamen hæc præſentis (quod nonnulli contendunt) febris exiſtit nota, quum aliam hæc pulſus frequentia habeat cauſam; ibi nimirum excuſſionem fuliginum calentium plus juſto aërisque appetentiam, hic excuſſionem malignitatis, cui nec calida, nec alia aliqua evidens, ſed venenata cordique tota ſubſtantia inimica adeſt qualitas.

Cor ab incurſu ſævi hujus hoſtis ita fatigatum, ventriculum validè in conſenſum trahit, nauſeabundum eum reddens. repetitæ namque vomitiones quarti ſigni loco erunt medico, ut plurimum initio hujus mali apparentes. quibus non ſolum ventriculo, ſed vicinis etiam contentum locis periſtaltico ac con-

convulſivo contractus motu rejicit ſtomachus.

Preſſum maligna materia cor, eam à ſe pellere conatur ſæpe, unde tumores, maculæ, punctula, aliæve apparent in cute efflorеſcentiæ. Tumores ſub axillis & in inguinibus frequentes, duri, admodumque dolorifici, bubones vocati à loco inguinibus nimirum. duri, quod copiâ excuſſæ materiæ, turgidæ tendantur glandulæ. Dolentes ob nervorum viciniam, materiæque malignitatem (etenim intenſior & non proportionatus cauſæ dolorificæ dolor certum exiſtit malignitatis inditium.

(*a*) Maculæ aut punctula nec ejuſdem ſemper ſunt magnitu-

dinis,

dinis, loci, nec coloris. interdum namque latis maculis fœdatam videre eſt cutem, interdum punctulis pulicum morſubus non abſimilibus, quæ prout hunc illumve humorem invaſerit malignitas, colorem etiam mutant; ſi ſanguinem, rubent, quæ benigniores habentur; ſi pituitam, lividæ, quæ minus benignæ; ſi bilem, puniceæ, aut virides, quæ deteriores; ſi exuſtam bilem atram, nigræ omnium peſſimæ: Pectus interdum hę infeſtant efflorefcentię, nunc abdomen, interdum brachia aut crura. Si puncta tantum fuerint eaque pauca, nec niſi in thorace eluceant, calamitoſi ſigni habentur loco etiam à vulgo, nec ſine causâ: ſignificant namque
movere,

movere, nil autem promovere naturam, unde etiam ut plurimum magis gravari videas ægros, quum critica excretio ægrum ſemper recreet.

Ab urinâ quod ſumitur ſignum, illud omnium certo malignitatem adeſſe dicet, ſi uno eodemque die nunc bonum ſanorumque urinæ ſimile appareat lotium, nunc rutilans turbidumq; ſit. fit interdum ut toto morbi tempore urina ſanorum ſimilis appareat, tum nimirum cum ſola adeſt malignitas, nulla cacochymia, nec in ea concepta putredo; aut quum ob ſummam materiæ malignitatem eam non aggreditur natura. Hinc etenim quum non agitetur, neque turbetur corpus, nulla quoque in

ex-

excrementis elucet alterationis nota.

Iam dictis signis si accedant sudores extraordinarij, nec convenientes, sed aut nimis copiosi, aut fœtidi, aut frigidi, aut particulares, aut sanguinei: si alvi dejectiones corruptæ, putridæ ac fœtidæ colliquationis indices similiaque, jam certus de peste erit medicus.

Non rarò sed frequenter & illud adest, ut & delirent & tamen in somnum proni sint ægri. delirium ab acumine materiæ est sensus turbantis; somnolentia à pravitate opprimente facultatem animalem. nam revera, somnolentia quæ crebro in peste apparet, potius ab oppressione animalis est facultatis,

tis, quam humectatione cerebri. (b)

ADDITAMENTVM.

(a) *Præclarum illud non solius Galliæ tantum, sed totius Europæ lumen Fernelius cap. 18. lib. de Febribus, asserit, exanthemata hæc ut corporis summa, ita & interiora omnia viscera, musculos, nervos, cæterasque partes solidas obsidere, ex hisque primam ducere originem. Ejus rei periculum facturus ante annos duodecim Vir Clarissimus, Expertissimusque Medicinæ Doctor Iacobus Bontius p. m. Gerardi Bontij p. m. in hac Academia Professoris Medicinæ dum viveret, doctissimi pariter ac celeberrimi, filius, & magni illius* Α'ρχιάτρȣ

Reineri

Reineri Bontij p. m. frater germanus, cui Amplissimus Magistratus hujus urbis (cui ea cura semper curæ fuit, ut tam sanitati consuleretur eorum quibus res nulla domi quam quibus lauta est.) id munus obtulerat, ut restituendæ sanitati inserviret pauperiorum hac lue correptorum, qui aut sparsim per urbem, aut in publicis ædibus, quæ recipiendis ejuscemodi ægris dicatæ sunt, decumberent; quique postmodum in India Orientali Advocati fisci munere honorificentissimè functus est. Is (inquam) periculum ejus rei facturus, adhibito Chirurgo Daniele Weissens, ejusq; utens opera, cadaver cujusdam, qui exanthematibus hisce laborarat, dissecuit, invenitque ab ossibus ipsis initium ea sumere, inciperéque

à la-

à latiori basi, pyramidisque instar assurgere, ac tandem in summo cutis in conum desinere.

(b) Signis hisce ab Auctore commemoratis addenda duo, quorum prius est, extrema linguæ siccitas plærumq; cum albedine conjuncta. Hæc non tantum in progressu, sed statim in principio hujus apparet morbi, sive cum febri sive citra eam lues hæc hominem invadat, eaque tanta, ut Medico, grassante hac lue, pestilitatis suspicionem non exiguam moveat, etiamsi alia ejus mali signa nondum in conspectum se dent.

Posterius, anthraces sunt, quorum sub finem hujus Tractatus Auctor mentionem quoque facit.

Ἄνθραξ Græcis, Carbunculus dicitur Latinis, quamquam non desint, qui

inter Anthracem & Carbunculum hoc discriminis interesse velint, quod carbunculus à præassato quidem & putrido oriatur sanguine, sed malignitatis experte, at anthrax à majori assatione, majorique putredine, quæque simul malignitatem habeat conjunctam. Quidquid sit, hoc saltem certum est, duorum generum anthraces esse, alios pestilentes, non pestilentes alios.

Vt autem conspecto anthrace, pestilensne is sit nec ne, dijudicari possit, pestilentis naturam brevi definitione aut potius medica descriptione explicare conabor.

Eum itaque definio, ulcus crustosum, rotundum, dolorificum, statimq; in principio cū vesica livida nigrave, rarissimè à pustula rubra incipiens, cum magna partium vicinarum

inflammatione, à præassato ac maligno genitum sanguine.

Vlcus dico in eo sequutus Galenum Comment. ad aph. 45. lib. 6. Et lib. de Composit. Medicam. per genera 5. cap. ultimo. Non ignoro Auctorem lib. Definit. Medic. Galeno asscripti, carbunculum tumorem ulcerosum vocare, ipsumque Galenum lib. de Differ. morb. cap. 12. carbunculum inter compositos numerare morbos, ac non paucos è Neotericis carbunculos sub tumoribus comprehendere. Verum cum hic carbunculus ad ulcerum naturam maximè accedat, & citra insignem tumorem plærumque eveniat, eum sub ulceris genere cum Galeno citatis jam ante locis comprehendere malui.

Vlcus dico crustosum, rotundum, dolo-

rificum, cum vesica livida nigrave, rarissimè à pustula rubra incipiens, ut pestilentem à non pestilenti distinguam: pestilens enim aut nunquam aut rarissime ab exili incipit pustula rubra, sed statim à crusta integrâ & rotunda cum vesicâ livida nigrave; eadem fere ratione, ac si pars gangræna tacta esset, quæ paulatim in ambitu separata, integra tandem excidit. Non pestilens autem ab exili incipit pustulâ rubra, cum pruritu, deinde ardore doloreque vehementi, ac multis foraminulis pertunditur (unde nostratibus **een negenooch** *vocatur) ex quibus puris paululum profunditur, donec crusta tandem purulenta excidat.*

Addo cum magna partium vicinarum inflammatione: non enim

rubra

rubra tantum sed purpurea plerumque in anthrace pestilenti cutis circumjecta apparet, ac si contingat, circumjectam cutem exiguis pustulis obsideri, raro sistitur anthrax antequam universam eam vicinam cutem quoque corruperit.

Vt autem causam ejus explicem, addo à præassato ac maligno genitum sanguine: utrumque enim & assatio sanguinis, & malignitas ad ejus generationem concurrat necesse est. De Anthracis curatione acturus sum in additamento ad Caput hujus Tractatus ultimum.

CAP. V.

Signa præsagientia futuram, quæ nondum est, pestem, præsentisque exitum.



Vum, Hippocrate teste, acutorum morborum incerti sint ad salutem aut interitum exitus, anceps revera sævissimi hujus tyranni sit præsagium necesse est; ut qui non rarò dum à fronte salutem, mortem à tergo gerit. Hunc furtim ac cæco velut igne necat, illum aperto Marte ferit, nec quiescit donec prælium morte finiat. certum tamen est, quo symptomata fuerint sæviora, viresque ægri magis dejectæ, eo plus periculi ab hoc esse hoste? (*a*)

Quem

Quem præſagiunt ſubitaneæ aëris mutationes, eaq; quæ in putredinem aut corruptionem eum conijciunt. Ver pluvium ac auſtrale, ſubſequenſq; æſtas fervida non parum ab eo metuendum dicunt, uti & cometæ, ſtellæ cadentes, hiatus, ardores, aliaque noctu in aëre conſpicua, idque reſpectu cauſæ, unde ejuſcemodi prodigia in aëre gigni ſolent.

Idem ſignificant morbi putridi plus ſolito apparentes: variolæ, morbillique frequentiores, gravidæ abortientes: fungi ſolito copioſius è terrâ erumpentes: è putrido namque proveniunt ſucco, cujus halitus aërem ſi tangat; à peſte non parum metuendum.

Insecta è putredine genita si luxurient, erucæ, muscæ, bruchi, papiliones, cicadæ, scarabæi, crabrones, limaces, locustæ, vermes, araneæ: quarum tamen paucitatem Antiqui prodromon pestis statuebant signum, teste Plutarcho lib. de Oraculorum defectu. respondeo ad causam quam signum potius hic respexisse Antiquos: aranea namque innatâ cupiditate malignitatem virulentiamque attrahit: quod si itaque causa fuerit generationem aranearum impediens, non consumitur tum malignitas.

Insecta si sua antra, aviculæ nidos deserant aliumq; quærant aërem. Attila Aquilejam obsidente ciconię pullis onustę uno omnes agmine visæ sunt urbem relinquere.

In-

Insecta quoq; passim mortua exanimaq; si conspiciantur mali quid presagiunt; significant namque rorem stirpibus terraq; nascentibus inhærentem malignitatis expertem non esse. Hæc itaque similiaque ubi apparuerint signa, jam ut de prophylactice cogitent homines tempestivum est, nam prævisa tela minus nocere solent. Solet autem & citius & vehementius invadere hæc lues, si nimis arctè ab incolis habitentur ædes. Hinc Athenienses aliquando accusarunt Periclem, quod pesti occasionem dedisset, coactâ magnâ agrestium intra urbem copiâ: ita & Livius notat. lib. 1. decad. 3. Coss. L. Ebutio & P. Servilio, grave quidem tempus

& annum pestilētem urbi agrisque fuisse, sed auxisse vim morbi terrores populationis, pecoribus agrestibusque in urbem acceptis. Eamque colluvionem mistorum omnis generis animantium & odore insolito urbanos & agrestem confertim in arcta tecta æstu ac vigiliis auxisse ministeriaque invicem ac contagia ipsa vulgasse morbos.

ADDITAMENTVM.

(a) *Quamvis ejus naturæ ac conditionis hic sit morbus, ut etiam tum, quum vel maxumè arridere videtur, tum vel maxumè insidias struat, ægrumq; nihil minus quam de morte cogitantem opprimat, ac è contra convalescant interdum*

nonnulli, qui vel ex ipsis orci faucibus erepti videantur, ac proinde difficillimum sit, certa ac infallibilia vel ad salutem vel ad mortem in hoc malo prognostica statuere, eoque difficilius, quia si in ullo morbo verum sit, in hoc sit verissimum, quod multa sacro involucro tegat, ac ludat in humanis divina potentia rebus; ea tamen in medium proferre mihi animus est, quæ ut plurimum vera esse ipso usu deprehendi.

1. Bubones quo citius prodeunt, eo melius est, imo præstat ipso invasionis morbi die apparere, quam serius, dum nimirum adhuc integræ aliquo modo sunt vires, remediaque convenientia ferre possunt ægri; unde videre est, longè plures evadere quibus statim in initio

morbi, quam quibus postmodum apparent.

2. *Bubones quo se magis attollunt ac in conspectum proferunt, eo melius est: significatur enim propelli versus exteriora venenum, viresque victrices fieri, ac hostem suum omni conatu expellere.*

3. *Si applicato aut buboni, aut loco ei vicino, vesicatorio, epidermide ablatâ, copiosè aquosus effluat humor, ac postmodum convenientibus adhibitis medicamentis, pus probum ac copiosum emplastris adhæreat, quoties ea mutanda, recentiaque imponenda sunt, optimum signum est, talesque ægri ut plurimum evadunt: per eam enim tum viam à malignitate liberantur interiora.*

4. *Anthraces quo citius pluresque prode-*

prodeunt, eo melius est: propellitur enim tum tempestivè versus exteriora venenum. Visus mihi juvenis, qui quum invadente morbo pessimè haberet, ac mors præ foribus esse videretur, eique primo invasionis die viginti diversis corporis locis apparerent anthraces, & præter eos secundo die adhuc decem, qui (inquam) brevissimo temporis spatio convaluit, ac brevi nondum cicatrice obductis ulceribus, ad solita se munia contulit.

4. *Si Anthraces cito circumscriptionem suam nanciscantur, ac à partibus vicinis non corruptis in ambitu separentur, ac pus prodeat copiosum & bene coctum, optimum signum est, ob rationem jam ante datam.*

6. Lingua

6. Lingua si post copiosum sudorem suppurationémve bubonum aut anthracum humida fiat ac naturalis coloris, bonum est; significatur enim malignitatis violentiam imminui.

7. At verò quibus, applicato circa bubones vesicatorio, post ablatam epidermidem, locus iterum siccatur, nullaque subsequitur purificatio, quibusque anthraces circumscriptionem circulumve non nanciscuntur, nec à vicinis partibus separantur, sed perpetuo ulterius serpunt, partesque vicinas in ambitu apprehendunt, ij ut plurimum brevi moriuntur, rarissimique eorum evadunt. Dico rarissimi; Visi enim mihi duo, qui quamvis de ipsis jam conclamatum esse videretur, evaserunt tamen.

Prior

Prior anno 1624. is quinquagenarius jam corripiebatur pestilenti febri ardentissima cum anthrace in nate (si probè memini dextrâ) tamdiu ulterius progrediente partesque vicinas inficiente, donec orbis mensarij superaret magnitudinem, idque cum sævissimis symptomatis, delirio nimirum, vigiliis perpetuis, linguaque siccissima, is tamen felicissimè evasit anthrace tandem ad separationem perducto; & etiamnum hodie in vivis est.

Alter præcedenti anno 1635. nimirum, cui cum bubo appareret in inguine sinistro applicatumque esset vesicatorium loco buboni vicino, omniaque pro ratione essent administrata, locus is non tantum exsiccabatur, sed cutis primum

pur-

purpureum, deinde lividum induebat colorem cum symptomatis quoque sævissimis in superiori casu relatis, tandem cum vires planè prostratæ viderentur, nullaque spes vitæ reliqua esset, reviviscente quasi naturâ in ambitu undique cutis illa separari incepit, symptomatibusque remittentibus paulatim pristinæ sanitati restitutus est.

8. *Bubones ut plurimum deteriores ac exitiales magis esse solent, qui pone aures, in collo, ac sub mento, quàm qui sub axillis & inguinibus apparent.*

9. *Exanthemata purpurea, livida nigrave apparentia lethalia habentur, & revera ut plurimum sunt, quamvis, ut ante annotavi, longe plures iis apparentibus anno 1635 hic Lugduni evaserint*

quam

quam anno 1624. Scio quidem Doctissimum Fernelium asserere, qualitatem illam malignam, à qua hæc exanthemata oriuntur, diversi mitiorisque generis esse, quàm quæ carbunculum bubonemque pestilentem ingenerat. Sed crediderim, id aut ob cœli solique fieri diversitatem, aut talem in Gallia grassatam fuisse pestem in qua mitioris ea exanthemata conditionis fuerint: Alterutrum ut credam, movet me ipse Fernelius, subjungit enim, proinde in infantes ac pueros, non autē in seniores, nisi ferocior immaniorque sit, invadit. Quidquid sit, apud nos semper exitialia habita sunt etiam à vulgo, neque apud nos solùm sed etiam in aliis quibusdam regionibus. Notum illud exemplum est quod

refert

refert Augerius Busbequius Gulielmi Quackelbeni Medici insignis, cui quum purpureæ hæ maculæ apparerent, existimarentque qui ei ministrabant morsus pulicum esse, ipseque eas conspiceret, non sunt (inquiebat) isti morsus pulicum, sed mortis appropinquantis nuncij.

10. Sanguinis fluxus è naribus in hoc morbo ut plurimum lethalis; eorum autem, qui sanguinem minxerunt, neminem unquam servatum vidi.

11. Alvi fluxus in hoc morbo superveniens, mali etiam ominis esse solet; quamvis eorum, non paucos qui fluxu alvi laborarunt, convenientibus tempestivè adhibitis remediis sanitati restitutos vidi.

Hippocrates lib. de Morb. vulgarib. 3. Text. 57. de peste, de qua eo loco agit, hæc refert.

Qui longis morbis vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipuè mortui sunt, cunctos namque venter sustulit.

Per ventris vitium alvi fluxum intelligendum esse, patet ex Comm. Galeni in eundem locum.

Et pestis quoque illa longissima (inquit) quæ nostra ætate vulgata est, ex iis quæ per alvum evacuantur, omnes prope peremit. Quæ evacuabantur erat colliquatio. Quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris, quam pestilentem vocitant, cum mortales vel citra pestem corripiat.

12. Si mulierem gravidam morbo aliquo acuto corripi perniciosum

est,

est, secundum Hippocratem aph. 31. lib. 5. hoc corripi admodum sane perniciosum existit, præsertim si subsequatur (quemadmodum ut plurimum contingit) abortus.

CAP. VI.

Ratio & modus quo præservari munirique contra pestem possint corpora.

QVum de diagnosticis ac prognosticis signis præcedentibus duobus diximus capitibus, ordinis series, ut de prophylactrice ac curatione nunc agamus, postulat. Præservatio circa modum rationemve versatur, qua idoneis remediis ita muniri contra imminentem &

& minantem hunc hoſtem poſſint corpora, ut ejus telis reſiſtere poſſint, id eſt, ut aut non tangantur, aut tacta ne ſuccumbant. Optimo ſanè inſtituto, quum enim nulla cauſa ſeu agens agere queat abſque patientis aptitudine ſeu diſpoſitione ſubjecti, in quod agere volet, ſi ita muniri poſſit contra hujus tyranni efficaciam cor, ut inefficax ſit, fruſtraneus ejus reddetur inſultus. exemplo ſit Mithridates, qui aſſiduo alexipharmacorum uſu ita ſe armarat contra venena, ut etiam tum, quum maxime vellet, offendi tamen non potuerit.

Non tamen curationem, ſed tantum prȩſervationem hoc trademus capite. Eo namque inter

ſe

ſe hæc differunt, quod curatio morbum factum ſeu genitum & jam actu actiones manifeſtè lædentem profligat; præſervatio cauſis, à quibus fieri poſſet hic morbus, anſam præcidat, cui tres propoſiti ſcopi.

1. Corporum diſpoſitio: ut nimirum, ſi parum à juſtâ abierint temperie, videturq; in morbum inclinare, contrariorum ope ad priſtinam revocentur conſtitutionem: ſin bene ac integrè ſe habeant, ſimilium ope in bono illo ſtatu conſerventur. 2. Externarum cauſarum præſentia. 3. Cauſæ internæ.

Intemperatè humida ſi fuerint corpora, quæ ad hoc malum recipiendum maximè ſolent eſſe proclivia, omni conatu

ad temperatam revocentur ſic-
citatem victu conveniente, ex-
ercitijs, medicamentis, aëre,

Si excrementitia, parco victu partim, partim placidé evacuantibus ſimulq; quantum fieri poteſt, cor roborantibus ac malignitati reſiſtentibus puriora reddantur. placidē dico, nam validè purgantia quum vires deijciant, quas hic oportet eſſe integras, non conveniunt. Sit uſus thamarindorum, ſyrup. roſati ſolutivi, rabarbari, aloes: ſumatur quotidie pilularum Ruffi aut ex hierâ picrâ una. *(a)*

Si debilia fuerint corpora, imbecillitatis causâ cognitâ, ei occurratur: ſi à nimiâ venere, abſtineant; utantur euchymo beneque nutriente victu; ſi ab animi

mi curis, exercitio nimio, vigilijs, evacuatione, quæcunque demum fuerit causa, ei omni conatu occurratur: nam adversus potentissimi hujus hostis insultum oportet quam maxime vires constare.

Sin sana firmaque fuerint corpora, conserventur in illâ integritate debito usu sex rerum nonnaturalium medicis vocatarum, memores semper dicti illius Hippocratici *Text*. 20. *lib. de mor. vulg*. 6. *sect* 4. sanitatis studium esse non satiari cibis & impigrum esse ad exercitia.

Corporibus ubi prospectum, altera cura de externis erit causis; illæ sunt aër & contagium. Aër admodum, diuq; si æstuet, alterandus traducendusque ad tem-

temperatum frigus. Eligatur locus, qui feneſtras auſtrum occidentemque verſus clauſas, ſeptentrionem apertas habeat. M. Varro narrat ſe Corcyram. inſulam ab incipiente peſte liberaſſe obſtructis iis feneſtris, quæ auſtrum, apertis, quæ aquilonem ſpectabant. Gramine, foliis capreoliſque vitium, papaveris, lactucæ, floribus roſarum, nymphææ, violarum aſpergatur pavimentum, quæ ſubinde madeſcant ab aquâ, aceto, roſaceâ aquà ſimilibuſque. frequentia hominum arceatur.

Humidus nimium ſi fuerit aër, iis, quibus ſiccandi vis, ejus mador caſtigetur. ſi hyems fuerit, ignibus luculentis ex ſiccis

odoratiſque lignis (qualia juniperina, laurina, ſabina) exſtructis. Si æſtas, injiciantur ignibus levioribus ſandala, roſæ, nymphæa, citriorum, arantiorum cortices ſimiliaque, quibus præter ſiccandi vim frigus conjunctum.

A ſiccâ frigidâque aëris conſtitutione minus metuendum, quum cauſę ſint potius reſiſtentes generationi peſtis.

Sin verò non tam qualitatibus primis peccet aër, aut ab eo metus ſit, quam à miaſmatis praviſq; exhalationibus ei permiſtis, eorum generationi anſa præcidatur. Si ſtagnantes aquæ tetros fundant vapores, inductis fluentibus agitentur aut exſiccentur. Scribit Laërtius in vitâ Empe-

Empedoclis eum à Selinusiis pestem avertisse, quæ ex adjacêtis fluminis fœtore orta erat, duobus vicinis amnibus proprio sumtu in eum inductis.

Si ab inhumatis cadaveribus, extra urbes profundis fossis injiciantur, superinjectâ argillâ densâ ac compactâ aut copiosâ calce.

Sed volunt nonnulli, simulac moriuntur pestiferi, avolare venenum, ita ut contagiosa amplius non sint. nugæ: si enim inanimata, uti vestes, supellex aliaque fomes sunt hujus veneni, quanto magis hujuscemodi cadavera, licet jam frigida. Excutiatur stulta hæc & periculosa opinio. Scribit Thucydides in eâ peste neque alites, neque

quadrupedes eas, quæ carnibus humanis nequaquam abſtinent, quamvis hominum cadavera conferta jacerent inſepulta, ad ea tamen tum temporis vel non acceſſiſſe, vel certè deguſtatis iis interiiſſe. (b)

Sin verò pravis exhalationibus conſpurcatus jam ſqualleat aër, corrigendum illud vitium aut ignium excitatione, exemplo Acronis Agrigentini & Hippocratis; aut aëris commotione, quam artificio machinari poterimus, tormentorum nimirum majorum bellicorum aërem validè concutientium, commoventiumque repetitis iteratiſque exploſionibus. quomodo Tornacenſes à peſte liberatos narrat Levinus Lemnius lib.

lib. 2. de Occult. natur. miracul. cap. 10.

Hæc ſi non juvent, authore Hippocrate 2. de Nat. hum. mutetur aër, eligaturque locus ſalubris. Idem remedium tum locum habebit, quum à contagio tanquam efficiente peſtis causâ metus eſt. (c)

Quorum verò conditio non patitur loci mutationem, ij à frequentiâ, ſocietateque hominum locorumque potiſſimum ſuſpectorum ſibi caveant; nihil tractent eorum, quibus peſtiferi uſi; nam ſeminarium ſeu fomes ſævi hujus mali diutiſſimè ſæpè veſtibus tam laneis, quam lineis, imò etiam corporibus ſolidioribus inhærere ſolet. In propriis ædibus munda ventila-

taque ſint omnia, veſtimentis roſæ, ſantala, citriorum, arantiorum cortices miſceantur; linteis bene lotis aqua roſacea, roſaceum, calendulatum acetum aſpergatur, ſicque ſiccata reponantur. Os, facies, manus ſæpe aquâ purâ, roſaceâ, oxycrato, aceto calendulato abluantur; poma odorata ex aromatis confecta frigidis manibus geſtata naribus ſæpe admoveantur. bonam ſervent victus rationem, parcam nimirum, boni ſucci. præter hæc medicamentis tam externis, quam internis ſeſe muniant. externis, uti litu regionis cordis theriacâ, limonum, aut citriorum ſucco ſubactâ cui imponatur ſacculus ex florib. cordialibus; camphorâ, ſcobe cor-

ticum citriorum arantiorumque, pulvere radicis gentianæ, angelicæ, ſeminibus myrrhidis paratus. Mihi familiare remedium illud eſt: Summo mane priuſquam cubiculo egrederis ſume candentem ſilicem, quem extingue continuâ aceti calendulati affuſione, quemque de ſe fundit vaporem hiante excipe ore. eodem aceto ablue manus, nareſq; cum temporibus inunge; tum demum cochlear unum per os aſſume, ſicque publico te committas.

An etiam fœtida topica geſtata proſint quęritur? mihi quidem non probantur; nam principibus partibus quum ſuaveolentia amica ſint, à fœtidis non poſſunt non offendi; accedit

quod malignitas aëre concepta calidis ſiccantibus corrigi debeat; qualia odorata ac ſuaveolentia ſunt, quum contra cruda ſint fœtida, quâ de re videatur Ariſtoteles problem. 12. 12. & ſect. 20. 16.

Arſenicum collo appenſum cordiſq; regioni additum multi etiam clariſſimi probant Medici, à quorum experientiâ temerè abeundum non eſt; præſertim quum ſpecificam malignitatem non habeat illud medicamentum, ſed cauſticâ vi naturam lædat intus ſumtum. quid vetat autem, ut præter cauſim facultatem habeat latentẽ cordi naturæq; amicam. nonne in hoc, de quo agimus malo, multa præter rationem etiam fiunt.

Intus

Intus ſumenda remedia, quæ cor adverſus malignitatem muniunt plura ſunt longo uſu, experientiâque comprobata, ſalvia, ruta, ſcordium, carduus benedictus, acetoſa, aſclepias, agrimonia, ſcabioſa, meliſſa, borago, bugloſſum, pimpinella, myrrhis, angelica, pentaphyllum, tormentilla, valeriana, helenium, gentiana, zedoaria, aſtrantia, ariſtolochia, citrium, cydonium malum, lauri, juniperi baccæ, vaccinia paluſtria, calendula, roſæ, margaritæ, corallium, os è corde cervi, unicornu, lapis bezoar, bolus armenia, terra ſigillata, camphora, ſantalinum, aloes lignum, aloe ſimiliaque, è quibus unusquiſq; naturæ ſuę maximè conveniens eligat.

Allij usum nonnulli etiam hisce adnumerant, mihi improbatur eo, quod putridos, fœdosque succos pariat. Arnulphum Imperatorem narrat Crantzius lib. 3. cap. 3. histor. Saxon. ex allij frequentiore usu in tantam incidisse vermium multitudinem, nullâ uti ope medicâ servari potuerit.

Sunt & qui urinam humanam extollunt, antiquitus jam apud Syros hoc casu commendatam Galeno teste *lib.* 10. *de simplic. Med. facultatib.* at quid opus sordido hoc remedio uti, quum præstantium, naturæque gratorum copiam humano generi benignè concesserit benignus Deus. Non desunt qui stibij seu antimonij usum extollant,

lant, quod cum ventriculum subvertendo vires corporis frangat, mihi non commendatur. Ex prædictis simplicibus omnis generis composita parari poterunt, aquæ, pulveres, decocta, syrupi, conservæ, condita, eclegmata, pilulæ. Pilulæ Ruffi, (Croco, aloe, myrrhâ constantes) theriaca cum mithridatio inter composita excellunt, de quibus in curatione plura.

Tertium in præservatione erat amotio causarum internarum. Hę alię antecedentes, continentes aliæ. Continens est concepta malignitas in corde, quæ hic, uti in curatione, locum non habet.

Inter antecedentes cacochymia: huic debetur purgatio in-

ſtituenda pro ſpecie, qualitate & loco humoris vitioſi; quod pro re natâ judicabit accitus medicus.

Eſt quoque plethora ad vires: huic phlebotomia dicata, cui tamen indiſcriminatim hic locus eſſe non debet, quum ſpicus eſſe non debet, quum ſpirituum diſſipatione, humorumque agitatione aëri peſtilenti promptiorem pariat aditum. Eſſe tamen ei locus poteſt, ſi ab obſtructione conſuetæ alicujus fuerit evacuationis, uti menſium, hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ.

Etiam obſtructio inter antecedentes eſt cauſas, pendens à plethorâ, craſſitie, aut lentore ſanguinis. Plethoræ debetur inedia & pharmacia; craſſities in-

incidentibus, aperientibuſque; lentor abſtergentibus corrigendus.

ADDITAMENTVM.

(a) *Egregiè hoc monet Auctor, quod medicamenta, quæ excrementitiis humoribus, ad præſervationem, graſſante peſtilitate, expurgandis exhibentur, placidè debeant evacuare, cor ſimul, quantum fieri poteſt, roborare, ac malignitati reſiſtere; hinc Ruffus myrrham & crocum miſcuit cum aloe. Mihi (quia in hiſce regionibus non unus, ſed diverſi plærumque excrementitij peccant humores & quia in pituitoſis aduſtiſque bilioſis humoribus malignitas hæc plærumque pedem ſuum figit) in familiari fuit*

fuit usu vinum sequens medicatum.

℞. *Rad. scurzoneræ,*
petasitidis,
angelicæ,
tormentillæ
astrantiæ an. ℥ j.
Herb. siccar. scordij,
melissæ,
dictamni,
absinthij,
carduibenedicti
an. m j.
aloes optimæ,
rabarbari,
rad. mechoacan an. ℥ j ß.
quæ infundantur in vini albi stopis decem.

Eo non tantum in meipso, sed in pluribus optimo cum successu

usus

usus sum, blandè enim purgat ac malignitati egregiè resistit.

(b) *Eandem ad rem notandus quoque locus apud Livium Decad. 5. lib. 1. Delectus (inquit) Consulibus eo difficilior erat, quod pestilentia, quæ priore anno in boves ingruerat, eo, verterat in hominum morbos. Qui inciderant, haud facile septimum diem superabant, qui superaverant, longinquo maximè quartanæ implicabantur morbo. Servitia maximè moriebantur. eorum strages per omnes vias insepultorum erat. Ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat. Cadavera intacta à canibus ac vulturibus tabes absumebat, satisque constabat, nec illo nec priore anno in tanta strage boum hominumque vulturium usquam visum.* *Mihi*

Mihi & hæc est ratio, quod experientia doceat, longè citius putrescere cadavera eorum, qui ex peste obierunt, quam qui ex alio morbo, fœdumque magis spirare fœtorem; unde hoc, nisi ab inhærente in ipso cadavere putredinis istius velocioris causa?

(c) *Adversus pestem nullum fugâ præsentius datur remedium προφυλακτικὸν. In eâ observandum, primò, ut tempestivè instituatur, tum nimirum, si oriatur pestilitas ab assumtis aut à contagio, quum vitium nondũ contraxit aër; si ab ipso aëris vitio, sive id à susceptis tetris, malignisq; contingat exhalationibus, sive in propriâ substantiâ detrimentum patiatur, simulac vitium percipitur, pestilitasque grassari incipit, frustra, imo*

cum

cum periculo non raro præsentaneo suscipitur, ubi jam vitium vires acquisivit eundo: neque enim (uti eleganter Celsus lib. 1*. cap.* 3*.) ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem, transitus satis tutus est; idque, quia omnis subita mutatio est periculosa. Egregiè Hippocrates aph.* 51*. lib.* 2*. Semel multum & repente vel vacuare vel replere, vel calfacere vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculosum: omne siquidem nimium naturæ inimicum. Paulatim verò quod fit tutum, cum alias, tum maximè, ubi ab uno ad aliud facienda est mutatio.*

Superiori anno quum, sævissimè Lugduni sæviente peste, nonnulli serius discederent, ac in meliorem aërem

se

se conferrent, non pauci eorum ægri rediere. fuit & qui luem hanc serius fugiens, in puriore aëre eadem correptus, domum iterum æger properans, in itinere obiit.

Secundò eo fugiendum, quo non facile vitium aëre jam conceptum pertingere potest: præterquam enim quod vicinus aër à corrupto facile inficiatur, ventus etiam pestilitatis semina aëri inhærentia non parum dispergit, quod ipsum superiori anno Lugduni quoque visum, quum pro ventorum mutatione, modo hæc, modo illa civitatis pars subito inficeretur; imo quum flatu quovis & tempestate validâ aër expurgetur, neque putredinem ingenerari sinat, obortis tempestatibus augebatur malum, translato nimirum ab unâ civitatis parte ad alteram

veneno: ita unde remedium exspectandum videbatur, inde malì augmentum proveniebat.

Tertiò, non citius redeundum est, quam quum vis mali jam desævit, ac aër ad naturalem rediit statum. Ad ea quæ jam dicta respicit quod vulgo dicitur, plus posse in peste tria adverbia citò, longè, tardè, quam totidem pharmacopæorum officinas quam luculentissimè instructas.

CAP. VII.

Testis curatio.

QVamvis insignis efficaxque admodum in Sacro hoc morbo sit malignitas, quâ ictus velut fatis adactus cedat

cedat necesse est inevitabili necessitati; quoniam tamen crudele ac inhumanum est, omni ope ac spe destitutum proximum deserere, ea tentanda, quæ præcepta medendi methodi suadent. Vnicus hujus morbi quum sit characterismus, malignitas nempe cor vitalemque facultatẽ collectis viribus summoque conatu oppugnans, unica quoque oritur indicatio impediendi, ne fatiscat nobilissimi visceris nobilissima facultas, sed victrix victricia referat spolia.

Idipsum duobus mediis assequi est. 1. munitione cordis, ut roboratum potentis hujus hostis insultui resistere possit.

2. Revulsione ejus materiæ, cui divinum illud, quod hic adest,

ſt, inhæret. revulſione dico à corde, hoc eſt, parte affectâ primariâ, ſeu ſubjecto hujus morbi. (*a*) Priori medio certa dicata ſunt remedia, alexiteria, alexipharmaca, bezoartica vocata. Hiſce inſtructum ſi ſufficienter morbũ depellere nequeat cor, quod reliquum eſt, revellentium ac abducentium ope debellandum. At quo pacto inſtituetur revulſio. Conſtat inter omnes cor hic laborare, illud ex ſolidis, carnoſis & ſpirituoſis conflatum eſſe partibus, quarum ea, quæ ſpirituoſa dicitur, potiſſimum hic laborat, ea dico à quâ pendet proventus caloris ſpirituumque influentium. Etenim aëris inſpiratu fit hoc malum: at verò ex inſpirato aëre

ſi non

ſi non generatio, refocillatio tamen ac recreatio caloris ſpirituumque pendet vitalium. Revellendi itaque veniunt, ac quam fieri potis eſt, procul à corde abducendi ſpiritus inquinati ſeu malignitate tacti.

Quâ ratione? imitatione naturæ, quæ per habitum corporis ſeu cutis poros ſæpe inſenſili, ſenſili interdum tranſpiratione calorem ſpirituſque expurgat, ſudore nimirum, aut ſicca aëreaque evaporatione. Duplex namque ſicuti modus refocillandi calorem naturæ uſitatus eſt, reſpiratio & tranſpiratio; ſic quoque duplex modus expurgandi caloris, ſpirituumque ſuperflua exiſtit; per aſperam arteriam & per cutis ſpiracula. ut

hinc pateat, ſudorifica, quæque cutem rarefacere ejuſque poros aperire valent, genuina eſſe in peſte revulſoria.

Spiritus cum calore, quæ in peſte laborant, quum ſolitaria nunquam ſint, ſed ſanguini ac humoribus tanquam genuino inhæreant ſubjecto, an non quæ ſanguinem revellendo à corde abducunt idonea hic ſint revulſoria quæritur? nego: etenim acutiſſimus ac extremus quum ſit hic morbus, extrema protinus id eſt ſtatim initio ei adhibenda veniunt præſidia, non quum ulterius progreſſus vires ſumſerit naturamque peſſumdarit: at verò initio tantum in calore & ſpiritibus contaminatio malignitatiſque hęret labes, licet

licet ea paulatim ſanguinem quoque conſpurcet. Ac proinde in principio ſtatim talia adminiſtranda ſunt remedia quæ malignitati reſiſtendæ appropriata ſunt.

At quid ſi venæſectio ſtatim inſtituatur? nullo pacto hæc admittenda: nam in ſanguine morbi principio non eſſe vitium jam dictum, præterquam quod educendo probum laudabilemque, quem cordi in ſubſidium fundit natura, ſanguinem, perſentiſcens hunc hoſtẽ, motum naturæ contrarium venæſectione induxeris, ut quæ à corde hunc vitæ theſaurum trahit. cujus eductione vires ægri certo atteres minoreſque reddes; at illas ſâtis frangit morbi mali-

malignitas. Nec eſt, quod quis Hippocratis aut Galeni hunc ullumve locum, quo in peſtilentialibus morbis phlebotomiam probant, huc trahat, manifeſtum nullum dabunt: quum contra ubicunque ex inſtituto peſtilentium morborum curationem tradunt, nullibi hujus remedij meminerint.

Conſtat de eo convenitque inter omnes probatos tam veteres quam recentiores medicos, eſtque primarium ac præcipuum quod ſemper inculcat Galenus, licet magnitudo, acumen, celeritas morbi poſtulet phlebotomiam, nunquam tamen niſi viribus integris eam inſtituendam. At verò venenum malignitaſque quæ in peſte

adſunt, vires citiſſimè ac celeriter evertunt proſternuntque, quas ſi ſanguinis detractione magis adhuc labefactare volueris, quid aliud quam rationi reclamabis ægrumque certò jugulabis.

Rationibus hiſce accedit teſtimonium eorum; qui peſtes illas celebres anni 1508. & 1529 deſcribunt, hi enim uno omnes teſtantur ore, eos, quibus ſecta fuerat vena, ad unum omnes interiiſſe, indeque tam malè audiviſſe hoc remedij genus, ut etiam aliquandiu poſt etiam in morbis non peſtilentialibus admittere homines nollent. (*b*)

Alij quod vomitiones ſtatim initio hujus appareant morbi, idipſum imitari debere medicum

cum contendunt, exhibentque ſtibium ſeu antimonium ſimiliaque. Dico naturæ non morbi imitatorem eſſe medicum; at verò vomitiones illæ ſymptomaticæ ſunt, fiuntque morbi non naturæ vi. *(c)*

An peſtis initio (etenim tum viribus cordis integris adhuc, ſi quid movendum, inſtitui debet) pharmaca ſeu elective trahentia purgantiaq; conveniant medicamenta in quæſtione etiam eſt. Mihi lenientium, enematumve uſus cum judicio initus non improbatur, at priorum quam maximè. Etenim malignitas, quæ hic adeſt ſtatim initio humoribus nondum permiſta eſt, at ſolis iis educendis, non verò ſolitariæ aut ſpiri-

ritibus inhærenti malignitati dicata ſunt purgantia. Hinc licet exhibeantur, vires reſolvent quidem, nihil verò morbidæ excludent materiæ; cui accedit, quod aſſumpti pharmaci vim calor nativus in actum deducat neceſſe ſit; at verò à potentiore is impeditus fruſtraneum relinquet pharmacum, quod movendo nilque promovendo corpus non parum affliget. Efficax etenim validaque exiſtit alienæ illius naturæq; inimiciſſimæ intemperiei vis, quæ locum ſibi in corpore invenit, illudet illa omnem caloris nativi conatum.

At verò omnium maxime illa urget ratio, quæ vetat unquam quod crudum eſt & non

tur-

turget purgante pharmaco aggredi. at verò utrumque pestis adest initio. quid enim coxisset divinum hoc divini hujus mali?

At vero turget, dicent, hincque oraculo Hippocratis quam citissimè exturbandum. Negabit is, qui, quid divinus ille Senex turgere vocat, norit, id explicat ejus Interpres Comm. in 6. Epidem. sect. 2. aph. 9. tum & lib. 8. de Localib. Remed. duas in turgente materiâ requirens conditiones. 1. Vt instabilem nec firmam habeat in corpore stationem, sed incerto errabundoque ductu nunc huc nunc illuc feratur. 2. Vt simile sibi nihil intra corpus reperiens proprio motu exitum quærat. at vero cor statim tanquam pro-

positum petit locum hostilem, à cujus valido conatu si forte aliquoties repulsum sedem mutet, non id exitum quærens facit, verum aliud quærens hospitium, quod destruere posset.

(*d*) Exulent itaq; medicamenta hæc corpus commoventia, omnia quæ sunt in corpore agitantia, viresque deijcientia; & si fæces inhæreant intestinis, infuso educantur enemate; si prima corporis regio levamen exigat, lenientium usu id perficiatur; qualia manna, è rosis factus syrupus, thamarindi, similiaque. Sunt qui agaricum parcâ sumtum dosi ob bezoarticam vim purganti junctam hisce addunt.

(ε) Primum itaq; ad pestiferũ

vo-

vocato Medico erit, ſi res exigat, aut enemate infuſo, aut leniente medicamento ſolvenda alvus, ne quid fortè circa hypochondria hærens ſurſum in cor, parteſque nobiles ſe infundat. Tum protinus antidotus aliqua cor primario reſpiciens, eique proprietate naturâli amica ægro exhibeatur, ſolitaria ſi abſit febris, nullaque in humoribus intemperies; ſin contra, jungantur ea, quæ febrem & exorbitantem ſuccum reſpiciunt; ſi calidus, ſyrupus acetoſus, acetoſitatis citri (acidis multum tribuendum, nam frænant malignam ſanguinis ferociam: ita tamen, ne validè ſtringant; obſtruunt namque cum nihil æque peſtifera juvet cor-

pora, ac meatuum libertas) ſyrupus roſatus recens , ſyrupus de ſoncho , de agreſtâ.

Si frigore peccet humor, ſyrupus de ſcordio in uſum trahatur, ex citri corticibus paratus , ex betonicâ: ſi melancholia negotium faceſſat, ſyrupus de pomis, de ſucco boraginis : ſi bilis atra, ſyrupus de fumariâ.

Loco ſyruporum ex jam dictis decocta quoque parari poterunt, prout ægri fuerit conditio ; nam de antidoto primaria debet eſſe cura.

Mihi trium remediorum probatur uſus ad debellandum immanem hunc hoſtem. 1. Oleum de ſcorpionibus. 2. Theriaca Arnoldi de Villanova vocata. 3. Pulvis ſudorificus. Horum

rum legitimo uſu etiam ex orci faucibus ſæviente peſte multi erepti. Oleo ſtatim inungendi cordis regio, pulſus manuum, plantæ pedum, nares, tempora, idque quater die naturali repetendum. Illud ita paratur.

℞. Olei maturi & antiqui ℔ v
terebinthinæ ℥ vj
euphorbij,
caſtorei an. ℥ ß
lumbricorum præparator: cum
vino malvatico ℔ ß
miſce & pone in vaſe vitreo, bulliant in B. M. per VIII aut X horas: dein coletur medicamentum per linteum purum ſine expreſſione, colaturę addantur in canicularibus
Scorpiones n°. C LXXX

viperæ fæminæ n° ij
diſſectæ in fruſta cum capitibus, caudâ & ſanguine. Hæc iterum bulliant, deinde exponatur vas ſoli inhęrens alteri vaſi arenam habenti in canicularibus per x dies. tum addantur ſequentes pulveres
rad. zedoariæ,
tormentillæ,
gentianæ,
ariſtolochiæ rotundæ,
folior. dictamni albi,
rabarbari electi an. ℥j
flor. altheæ,
aſcyri,
ebuli,
roriſmarini omnium ſiccor.
an. mß
theriacæ,
mithridatij an. ℥j
miſce

misce & vase vitreo vel vitreato optimè clauso sepeliantur sub fimo equino ad dies XL vel hæreat in B. vase obturato triduo continuo; tum coletur & servetur in vase stanneo aut argenteo, utere modo dicto.

Tum statim exhibeantur ʒij theriaces Arnoldi de Villanova vocatæ, jejuno stomacho; quæ sic paratur:

℞. Sem. juniperi,
rad. aristolochiæ rotundæ,
longæ,
gentianæ,
tormentillæ,
angelicæ,
enulæ campanæ,
folior. dictamni albi an. ʒv
caryophyllor.
macis,

nucis muſchatæ,
zinziberis,
rad. zedoariæ an. ℥ß
Herb. ſalviæ,
rutæ,
balſamitæ,
menthæ,
pulegij cervini an. ʒij
baccar. lauri,
rad. doronici,
croci,
ſem. acetoſæ,
citri,
ocymi,
gummi maſtiches,
thuris,
boli armeniæ,
terræ ſigillatæ,
ſpodij,
oſſis de corde cervi,
raſuræ eboris,

mar-

margaritar.
fragmentor. ſaphyri,
ſmaragdi,
coralli rubri,
ligni aloes,
ſantali rubri,
citrini an. ℈j
conſerv. roſar.
bugloſſæ,
nenupharinæ,
theriacæ probatæ an. ℥ij
panis ſacchari ℔ vi
F. Electuarium cum aquâ ſcabioſæ & roſatâ modicè camphoratâ.

Poſt hujus antidoti uſum pulveres ſudoriferi inſtituantur; quorum plures eæque probatæ habentur deſcriptiones.

I. ℞. Folior. dictamni albi,
coralli rubri,

rad. tormentillæ,
gentianæ,
boli armeniæ an. ℥ij
terræ ſigillatæ ℥j.

II. ℞. Pimpinellæ,
myrrhæ,
rad. zedoariæ,
ſantalorum,
terræ ſigillatæ an. ℥ß
ſem. citriorum,
croci an. ℈ij
unicornu aut cornu
cervini,
hyacinthorum an. ℥j.

III. ℞. Boli armeniæ veræ,
terræ lemniæ,
rad. tormentillæ,
folior. ſcordij,
unicornu aut cornu
cervini,
rad. gentianæ,

car-

carlinæ omnium æquales doſes.

Omnium verò præſtantiſſimum ſudorificum foràs efficaciter pellens venenum eſt electuarium de Ovo Maximiliani Primi Imperatoris, cujus parandi modus hic eſt:

℞. Ovum unum, perfora in ſummitatem foramine non magno, ſed tali, ut albumen extrahi poſſit vitello relicto, quo facto, repleatur ovum croco optimo, coopertumque alterius ovi corticis ramento madefacto albumine, ne decidat, ſubjiciatur calidis cineribus, torreaturq; donec ruffeſcat ac ad nigredinem vergere incipiat; tum teratur in mortario, in pulveremque

remque redigatur minutissimum. Tum

℞. Sem: sinapis albi æqualem cum prædictis portionem & per se in farinam redigatur. Tum

℞. Folior. dictamni albi, rad. tormentillæ an. ℨij, ℈ij. nucis vomicæ ℨij.

quæ omnia per se etiam terantur ac in subtilem vertantur pulverem; dein misceantur in mortario & pistillo incorporentur simul. Postea

℞. Theriacæ optimæ ad pondus omnium, simulque misceantur per horas ij. &

F. Electuarium.

Hujus sume ℨij. lectoque bene coopertus collocetur æger, ut sudor eliciatur.

Sunt

Sunt & alia non pauca in uſu medicamenta, quibus ſudores movendi facultas ineſt, uti guajaci, chinæ, ſalſæ decoctum. In hoc verò malo ea potiſſimum conveniunt, quæ, præterquam quod ſudorem eliciant, antidoti etiam ſortiuntur naturam; qualis petaſites eſt, theriaca, cornu cervi, fœniculi, petroſelini radices, dictamnus, ejuſque generis alia

In ſudorificorum autem uſu illud diligenter notandum, ut, poſteaquam bene ſudarit æger, lectus & linteamina mutentur. nam certiſſimum eſt, ſudorem illum admodum eſſe contagioſum, quum non ſemel viſum ſit, univerſum virus peſtiferũ unicâ largâ ſudatione excuſſum fuiſſe.

Etiam antidotorum ingens apud Scriptores ſilva, inter quæ tamen theriaca ab antiquis deſcripta primas facile obtinet, remedium certè à benigno Deo magno mortalium bono oſtenſum, calorem nativum ſuſcitans recreanſque, facultatem vitalem contra omnis generis malignitates firmans, mirumque in modum muniens, eaſdemque procul à vitæ fonte modo naturæ uſitato per cutis poros abijciens ac expellens. Maleque humano generi ij conſulunt, qui excogitatis contortiſq; argumentis divini illius remedii uſum è praxi ablegare nituntur. Non audiantur hi, verum potius tot ſæculorum compro[illegible]atæ plus detur experientiæ, ac

debitè in uſum trahatur celeberrimum hoc medicamen; nimirum ut, ſi febris peſti juncta admodum flagret, ei miſceatur aqua, conſerva, ſimileve quid, cui refrigerandi vis, ut ejus calor temperetur. aut ſi ſolitaria exhibeatur, ſuperbibant ægri aquæ roſaceæ, aquæ coctæ, cereviſiæ tenuis largum hauſtum. Quamvis ſi recens ſumatur, ab ejus calore ob opij præſentiam non adeò ſit metuendum. Exhibeatur ſtatim morbi initio juſſu Hippocratis 4. 2. Nec audiantur, qui coctionem hic exſpectandam volunt, quum in veneno ſumto, in ictu, morſu, læſioneve beſtiæ venenatæ etiam primâ horâ ad antidota deveniamus. Doſis ſeu quantitas

esto ad minimum ʒj. ætatis tamen habitâ ratione.

Eorum, qui nobile hoc medicamentum explodere conantur, argumentis respondere facile est. Calore suo, dicunt, si quæ adfuerit in peste febris, eam accendet magis; si absit, eam excitabit. Sciant febrem accidens esse pestis, primarioque ad malignitatem, quam obtundit, frænatque theriaca, respiciendum esse. Quamvis & huic incommodo occurri possit, si inveteratæ theriacæ misceantur refrigerantia, æstumque ejus temperantia: aut si eligatur recens confecta (*e*), quæ tantum abest, ut valide calfaciat, somniferum ut existat remedium, ut quotidianus id osten-

ſtendit uſus; in causâ opium eſt ob incipientem fermentationem nondum repreſſum. At, inquiunt, fundit, agitatque cruda, quę adhuc exiſtũt, theriaca, quæ agitata ne cor obruant metus eſt. Reſpondemus hoc unicum eſſe quod optat Medicus, ut agitata maligna hæc materia diffundatur in cutem à corde procul; cor etenim validè ac efficaciter firmat theriaca, ut collectis viribus hoſtem hunc excutiat. Sudores movet, ajunt, iis autem quum multum ſpirituum vitaliſque caloris exhauriatur, virium magna fiet proſtratio, quas hic omninò ſartas tectas ſervare oportet. Dico hoc ipſum, quod cor fatigando œconomiam ejus deſtruere, viresque

vireſque deijcere poſſet, excludi ſudore, malignitatem nimirum ſpiritibus, caloríque impreſſam. At quis adeo inconſideratus Medicus, ut neſciat modum in ſudando ſervandum eſſe. Inſtant urgentque Galeni exemplo, qui lib. 1. de Antidot. pueris nullo modo convenire theriacam aſſerit. Reſpondeo non eâ quantitate pueris exhibendam, quâ adultis, nec quoque ſanitatis tempore: cauſa eſt, quod licet multum caloris habeant nativi pueri, ſolidus tamen, fibroſus, firmuſque adeo is nondum eſt, nec proportionatus ei, quem theriaca adfert, calori. At verò commodè, debitèque exhibita pueris quod proſit, quotidianus docet uſus.

Præ-

Præter tradita alexipharmaca composita, adhuc multæ extant descriptæ, admodumque commendatæ antidoti: uti Antidotus de Sanguinibus Damocratis apud Gal. lib. 2. de Antidot. Mithridatium antiquitate nobile & cum theriacâ certans. Etiam medicamentum à Pompeio in Mithridatis Sanctuario repertum & à Q. Sereno sic expressum.

Bis denum rutæ folium, salis & breve granum,
Iuglandesque duas, totidem cum corpore ficus,
Hæc oriente die pauco conspersa Lyæo
Sumebat.

Parantur & aquæ theriacales vocatæ, tam ad curandum, quam præservandum efficacissimæ. Qualis hæc est:

℞. Rad.

℞. Rad. gentianæ,
cyperi,
tormentillæ,
helenij,
Folior. dictamni an. ℥j.
verbaſci,
carduibenedicti,
morſus diaboli,
pimpinellæ,
ſcabioſæ,
acetoſæ an. mß.
ſummitatum rutæ,
Baccar. myrti
roſar. purpurear.
Flor. Buglosſi,
boraginis
hyperici an. ℥j.
Mundentur omnia, piſtentur & macerentur horis xxiiij. in vini albi & malvatici, aquæ roſar. & oxalidis an. ℔j. dein reponantur

tur in vaſe vitreo , addantur
Theriacæ,
Mithridatij an. ℥iiij
F. diſtillatio in B. M. aqua ſtillatitia phialâ vitreâ excipiatur,.
eique rurſum addatur
croci ʒj
terræ ſigillatæ,
boli armeniæ,
ſantali citrini,
raſuræ eboris,
limaturæ cornu cervi an. ℥ ß
obſerata tum phiala ſoli exponatur diebus VIII vel X.

Etiam ſequens compoſitum ſunt qui miris celebrent encomiis, ſudoriferi & antidoti munere ſimul fungens. Sumunt artemiſiæ faſciculum, ex ejus cinefacti cinere lixivium parant cum aquæ ℔iiij id mox in vaſe

figulino vernice oblito ignibus ſubjiciunt, ut bulliat ad liquoris conſumtionem, ſubſidente terrenâ fæce ſalis inſtar, ex quâ finguntur trochiſci ponderis unius aurei. Ejuſcemodi trochiſcorũ unus duove diſſolvuntur in vini malvatici generoſi ℥iij

A potu ambulat æger ſemihoræ ſpatio; inde lecto traditur, ſudatque horis duabis aut tribus. Vomitus interdum ſuperveniunt, alvus quoque ſolvitur.

Ex ciconiâ factus cinis ſecretum in peſte, admodumque celebratum remedium eſt.

Ciconiæ pullus nondum volans, plumoſus tamen, vivus ollæ teſtaceæ incluſus furni vapore in cineres comburitur. Pulvis è vino exhibetur.

Alij

Alij ciconiæ ventriculum in pulverem conversum miris laudibus extollunt.

Confectionis Saxonicæ laus ampla est, cujus usum quum Myobanus Primus in medicinam induxerit, ab eo nomen retinuit. Paratur hoc pacto:

℞. Rad. valerianæ ℥ß
chelidonij majoris,
urticæ an: ℥j
polypodij quercini,
altheæ,
angelicę silvestris an. ℥ij
angelicæ nobilis ℥iiij
cort. rad. laureolæ ℥j ß

incisæ radices in ollâ vitreatâ bene obturatâ positæ, conspersæque aceto acerrimo ad lentum ignem coquantur. vase

perto, ſi acetum conſumtum ſit ſiccæque appareant radices, in pulverem terantur, tritis adde herbæ paris acinos xxvj eo ſi deſtituamur, ſumimus totidem baccas maturas ſolani lethalis.

Ex hiſque inter ſe miſtis F. Pulvis.

Mirum dictu, quantum præſidij adferat etiam in deploratis ac conclamatis ſequens:

In limonis ſuccum dimitte puri & obryzi auri mumiſma, aut ejus loco bracteam, foliumve auri conſimilis, exactoque die naturali extrahe, ac peſte laboranti ſuccum illum exhibe cum vino albo & pulvere rad. angelicæ,

Sume carduumbenedictum in pul-

pulverem versum, coque ex vino ad dimidij consumtionem. Hujus bonum haustum exhibe peste correpto, qui bene coopertus sudet.

℞. Rad. & folior. chelidonij majoris, folior. rutæ an. m j bulliant in aceti vini ℔ iiij ad dimidij consumtionem.

Hujus decocti præbeatur ægro ℔ j stragulisque tectus sudet. Egregium in peste remedium.

Ex hisce jam traditis ea eligi poterunt, quæ uniuscujusque ætati, naturæ, temperamento, tum & magnitudini morbi, comitantibusq; symptomatis convenientia videbuntur, ob oculos semper habendo indicationes curativas antea traditas.

Topica si quærantur externa,

oleum ſcorpionum mihi maxime commendatur, aut linimentum, ex theriacâ ſucco limonũ, citriorumve dilutâ, quo cordis regio, carpi, tempora, nares inungantur.

Diætam, reliquaque nonnaturalia vocata morbi magnitudo viribus collata indicabit.

ADDITAMENTVM.

(a) *Quum peſtilẽtialis malignitas veneni planè gerat naturam, & antipatheja quadam cor ex inſtituto petat, admodumque præceps in divino hoc morbo virium ſoleat eſſe lapſus, quumq; harum conſervatio præcipuus ſcopus ſit, ad quem dirigi curantis conſiliũ debeat. Medicus toto curationis*

tempore diligentem harũ curam gerat necesse est; ac quamprimum eas fatiscere animadvertit, protinus omni ratione cor adversus sævitiam potentissimi hujus hostis muniat, idque alexipharmacis, quæ & malignitati resistant viresque roborent.

Sed anne etiam vino hic est locus? Vinum quod alexipharmacam habeat vim, ac egregiè venenis resistat, testatur Dioscorides lib. 5. Cap. 7. Quodque etiam vires insigniter brevique roboret, nemo est qui dubitet, ita quidem, ut eas dotes possideat, quas ad virium conservationem in hoc morbo requiri jam dictum.

At vero calore suo febrilem (qui satis insignis & vehemens plærumque in hoc morbo) intendet,

eaque ratione simul & morbum reddet vehementiorem.

Sciendum in curatione pestis, considerandam primo & præcipuè esse malignitatem & τὸ θεῖον illud, in quo natura ipsius pestilentiæ consistit, quodque vires brevissimo sæpè temporis spatio consumit, ideoque id primo quoque & præcipuè oppugnandum expugnandumque esse, servatâ, quantum fieri potest, virium integritate, exhibitis etiam calidioribus appropriatis ad earum sustentationem, si necessitas requirat. Deinde rationem quoque diligentem habendam esse ipsius febris, quæ τὸ θεῖον hujus morbi comitatur ut plurimum, imo fere semper, ac proinde ad virium sustentationem

nem quæ exhibentur calidiora si sint frænanda temperandaque esse frigidorum permistione. Mihi, grassante Lugduni hac lue, viribus ægri ubi metuebam easque ad impetum morbi sustinendum pares non esse videbam, in frequenti fuit usu cardiacum hac fere formâ

℞. Vini rhenani,
aquæ carduibenedicti an. ℥vj
sacchari perlati,
succi citri recentis an. ℥ij
aquæ cinnamomi ʒij

Ejus quotidie aliquoties dosin unciæ unius alteriusve exhiberi curabam, idque tam diu, donec suppressa, ac victa malignitatis vis, ægrique viribus satis consultum videretur.

(b) Ita quoque duæ celebres pestes,

dum praxin exercui, Lugdunum Batavorum afflixerunt, quarum in Additamento ad Caput secundum à me facta mentio, at in neutrâ felicem venæsectionis usum mihi videre contigit, si unus aut alter evasit, quibus, dirâ hac lue iis temporibus laborantibus, secta fuit vena, inter rariores ij casus numerandi veniunt. Visi mihi, quibus pleuritide correptis vena quum secta esset statim in principio, nondum apparentibus ullis pestilitatis signis, ac ex voto dolor leniretur, sputa egregiè excernerentur cum summo levamine, omniaque ad salutem tendere viderentur, qui, inquam, secundo tertiove die erumpente bubone pestilenti, brevissimo temporis spatio obierunt fractis ac debilitatis planè viribus.

Nota quoque non solum Lugduni, sed etiam aliis in locis grassante hac pestilitate, non pauca sunt exempla eorum, qui, quum se putridâ febri malignitatis experte laborare crederent, nec ulla pestilitatis signa se proderent, venam sibi incidi curaverunt, quâ sectâ, depositâ jam personâ, in conspectum se dante hoc insidiatore, brevissimo quoque temporis spatio è vivis erepti sunt. Ita est, solet sæpe & Medicum & ægrum fallere hoc malum, nec ante se prodere quam ægro jugulum jam fere præbente, ita ut si unquam, hac grassante lue, maximè habeat locum, omnia suspicari.

Meminit pleuritidum pestilentium Wierus lib. Rarar. Medicinalium Observation. quæ anno 1564.

& 1565. apparuere in quibusdam Germaniæ inferioris locis, in quibus deprehensum est venæsectionem admodum noxiam exstitisse.

Meminit & anginarum, in quibus & universales corporis evacuationes, quæ præstantur aut pharmaci purgantis assumtione, aut phlebotomiæ usurpatione, plus læsionis quam emolumenti attulerunt, nisi quod in principio cucurbitulas sine scarificatione humeris collo proxumis in teneriori ætate affixas juvisse, & in aliis sanguinis è linguæ venulis extractionem quandoque profuisse testetur.

Et tamen, si in ullâ pestilenti constitutione, in talibus præcipuè venæsectio requiri videretur.

Scio non deesse maximi nominis Medicos

dicos, qui in venæsectione proram & puppim (ut ita loquar) curationis hujus luis statuunt, referuntque exempla quædam eorum, quibus fæliciter ea instituta est. At vero, ex exemplis iis nihil aliud concludi potest, aut tam robustæ eos ægros fuisse naturæ, ut id remedij genus in tali constitutione sine noxâ ferrent, aut talem grassatam eorum tempore fuisse pestem, in qua hoc peculiare fuerit (in plerisque enim, ne dicam fere omnibus, contrarium observatum fuit) ut cum successu hoc remedium institueretur.

(c) *Memini anno* 1624 *antimonij usum à vulgo non semel institutum, at cum infælicissimo successu, ideoque ejus remedij usum statim in desuetudinem abiisse.*

(d) *Pur-*

(d) *Purgantium medicamentorum usus vel eo nomine in hoc morbo suspectus quoque est, quod eorum vi concitati malignitate jam tacti humores, irritatâ nimium excretrice intestinorum facultate, lethalem alvi fluxum facillime pariant.*

At vero, quum cacochymica corpora facillimè hac lue corripiantur, eaque cacochymia universa per sudores suppurationemque tam bubonum quam anthracum expurgari nequeat, an non in tali casu (inquiat quis) expurgandæ cacochymiæ appropriata purgantia medicamenta exhibenda sunt?

Sunt sane, sed non nisi jam victa ac superata, sive per alexipharmaca, sive etiam per suppurationem bubonum & anthracum, malignitate, apparentibusque signis concoctionis;

ctionis; tum enim tuto ac ſine ullo diſcrimine per alvum evacuantur craſſiores reliquiæ peccantium humorum, quæ per ſudorem ſuppurationemque evacuari ac expelli à naturâ non potuerunt. Quod ipſum in principio ob rationem jam dictam tuto & ſine manifesto vitæ diſcrimine fieri non potuit; ita ut & hic locum habeat egregius ille aphoriſmus Hippocratis 22. lib. 1. Quæ matura coctaque ſunt medicari ac movere oportet, non etiam cruda nec per initia.

Nec eſt, quod quis dicat, Hippocratem couſulere aph. 29. lib. 2. incipientibus morbis, ſi quid movendum videatur, movendum eſſe, vigentibus autem quieſcere multo præſtare.

Non enim Hippocrates abſolutè dicit

in principio movendum esse, sed si movendum videatur; per purgantia autem in principio hic movere malignitatis non fert conditio. Deinde ut Galenus hoc recte notat in Comment. ipsemet Hippocrates sequenti aphorismo consilij sui rationem adfert, cum inquit, circa initia, & finem morborum remissiora sunt omnia (nempe symptomata) in vigore autem vehementiora. Ac si diceret, ideo in principio esse movendum, si quid movendum videtur, quia in principio remissiora sunt symptomata. At verò in hac lue principium plærumque ita breve est, ut statim sævissima appareant symptomata vires brevi prosternentia, ita quidem, ut duobus majoribus iis remediis phlebotomiæ nempe & purga-

tioni

tioni locus non relinquatur.

Tertio Galenus in Comment. eleganter asserit, in morbis, in quibus salutis ægri spes aliqua est, dandam esse operam per initia, ut majora adhibeantur remedia, præcipuas autem in his remedia esse, maxime quidem phlebotomiam, nonnunquam verò & purgationem, at notandum, eum dicere præcipua, non sola. Quum vero malignitas sibi appropriata requirat remedia, dicimus quoque ea statim in principio esse adhibenda, dum vires adhuc ea ferre possunt, nec differendo, occasionem curationis animam, amittendam esse; ea enim præceps est.

Tandem & hoc addo, quum teste Hippocrate circa finem morborum remissiora quoque sint omnia, recte

à me

à me paulo ante monitum esse, si, victâ malignitate, reliquiæ cacochymiæ remaneant, eas tum medicamento purgante tutò evacuari posse.

(ε) *Enema tantum leniens esse debet, ne validiorum purgantium vi concitati humores alvi fluxus subsequatur.*

(e) *Interim recentis theriacæ usus in ijs vitandus est, qui somnolenti admodum sunt.*

CAP. VIII.

MAlignus, magnusque hic quum adsit morbus, in quo acerrimus naturæ cum insolito hoc hoste est conflictus, calorem, sanguinemque validè agitans, fit, ut molestiora

ra

ra quoque hic, quam alibi, adferat ſymptomata; quorum præcipua ſunt febris, nauſea, vomitus, delirium, bubones, carbunculi, maculæ, punctula, aliæque cutis efflorescentiæ.

Febris ſæpiſſimè peſti ſociata eſt maligna ac continua; quæ licet paululum ſubinde remittat, intermittit ita, ut apurexia ſit, nunquam. Ad hanc in antidotorum, ſudorificorumq; uſu ſemper reſpicere oportet, ut nimirum iis miſceantur, quæ & nonnaturalem febris æſtum reprimere & theriacalium calorem temperare poſſint, eligendo perpetuo quæ cor ſimul roborant.

Multa talia circumferuntur, mihi ſonchus, pimpinella, vac-

cinia paluſtria præ cæteris probata. Acida etiam multum hoc poſſunt caſu, quæ tamen ne nimium aſtringant cavendum, quum ſicubi in peſte ductus poroſque corporis oporteat eſſe meabiles.

Febre placatâ miteſcent etiam ejus ſymptomata, ſitis dico, nauſea, delirium, vomitus: qui initio peſtis, nondum apparente, ſi adſit, febre, non debet reprimi, niſi continuâ dejectione vires frangat, inhibebitur granatorum ſucco, pomo cydonio citriove cocto, ſimilibuſque.

Cutanei affectus ut plurimum quoque ſemper peſtem comitantur; ſi quidē tenuis paucaque fuerit materia, punctula tantum: ſi craſſior, maculæ: ſi

copioſa craſſaque etiam, tumores. Copioſiores, paucioreſve hæ cutaneę efflorescentię nuncque hujus, nunc illius coloris pro diverſitate humoris materiæve, cui malignitas inhæret. Quocunque verò ſe habeant modo & quocunque appareant tempore promovenda ſemper erunt juſſu Hippocratis aph. 21. lib. 1. eo ducere jubentis quo natura vergit, potiſſimum ſi per convenientia fiat loca excretio. at iter maximè naturæ in hoc malo familiare per cutem eſt. Idem, eryſipelas ab interioribus ad exteriora vergere bonum eſſe, quum dicat, nullo pacto ſupprimendus hic erit motus; eo magis, quod veneno ſimilem gerat naturam hæc pravitas. A
ſri-

frigore muniatur habitus corporis, pannis aſperis fricetur, fotubus cutem laxantibus foveatur.

Hæc ſi non ſufficiant, ad veſicatoria & cauteria deveniendum. Veſicas excitabimus cantharidibus, ſinapi, radicibus ranunculi, foliis iberidis ſimilibuſque. Non deſunt qui cantharides reliquis omnibus præferunt, uſu id edoctos ſe aſſerentes: quæ tamen quum etiam externis licet admotæ ardorem urinæ gignere ſoleant, ſuadent iidem ammeos ſemina eis miſcenda, correctorium cantharidum id eſſe aſſerentes. quæ obſervatio eorum digna notatu eſt. Inter cutis efflorescentias duorum generum tumores fœ-

di,

di, dolorifici malignique admodum frequenter pestis tempore apparent bubones & carbunculi.

Bubo à loco, ubi sæpe oritur, (inguine ibique existentibus glandulis) sic dictus abscessus seu tumor est glanduloso aliquo loco, ut plurimum tamen sub axillis aut inguinibus efflorescens, durus, dolorificus, malignus, ex maligno humore à naturâ foras excusso, idque in loca glandulosa, utpote porosa raraque, hic ortum trahit, sub axillis sæpe, sæpius in inguinibus loco à corde dissito magis, utroque interdum loco, rarissimè pone aures, aut in collo. Hic existẽte jam si eluceat peste, de ejus naturâ nemo dubius erit: sin

ſin aut eam comitetur, aut ea nondum ſe prodente conſpiciatur, doloris immanitate, febre, vomitu, delirio ſe cognoſcendum præbebit, medicique aut chirurgi opem quam citiſſimè exiget, qui memor aph. 21. 1. & 25.6. haſce ſibi proponet indicationes. 1. provocandam eſſe, quantum fieri poteſt, materiam bubones excitantem. 2. exiſtentis jam bubonis malignitatem & dolorem temperandum. 3. eundem maturandum:

Prior indicatio cucurbitulis, columbis vivis diſſectis, attrahentibuſque perficietur medicamentis, quale ex fimo equino & tartaro vini inter ſe miſtis eſt, aut ſtupâ cannabis ovi albumine aceto vini ſubacto tinctâ.

Aut deniq; cauterio opus erit, quum per foramen factum via naturæ data malignam materiam affatim ſe effundere non ſemel viſum ſit, Obſervandum; tamen, ne ipſi buboni ea admoveantur, cum doloris acerbitas id non permittat, imò de febre & delirio metus ſit futurus; verum loco vicino: ſi axillaris fuerit bubo, humero; ſi inguinalis, femori. Hæc dum fiunt, ſimul ſecundæ tertiæque indicationi ſatisfaciendum. Applicentur malignitatem obtundentia ſimulque paregorica & nervoſo generi amica. Maturantia efficacia ſunto; nam apertio tumoris acceleranda, quum periculum in morâ ſit ob cordis partiumque vitalium viciniam. E-

ligantur ſequentia.

℞. Succi Paludapii ℥iiij.
pimpinellæ ℥ij.
acetoſæ ℥ß.

coquantur ſimul igne, donec permiſta pulticulæ inſtar habeant conſiſtentiam.

Quod ſi forte maturatus licet tumor ob cutis craſſitiem ægre rumpatur, aut actuali potentialive cauterio, aut novaculâ pertundatur. Cauteria magis probo, ignis etenim vi malignitas abſumitur. Meminerit tamen chirurgus vaſa inſignia eſſe ſub axillis, etiam in inguinibus. Apertus bubo probè mundetur, tingatur bis de die ſequente linimento.

℞. Succi paludapij,
pimpinellæ an. ℥iiij.

mel-

mellis ℥j.
theriaces ʒij.

misce fiat linimentum. Quoties abſceſſus reficitur, abluatur cardui benedicti aquâ, aut aceto, theriacali, tumque illinatur denuo. Abſterſo mundoque debentur ſarcotica, tumque epouLotica paſſim obvia, (b) Carbunculus quum natura cum bubone conveniat, ſanguinis aduſtione differat tantum, eadem fere quæ bubo exiget.

ADDITAMENTVM.

(a) *Quamvis bubo anthraxque peſtilens ſymtomata ſint peſti ſupervenientia ac inter ſigna ejuſdem numerentur, non parum tamen negotii medico ac Chirurgo faceſſunt,*

magnamque partem curationis ad se trahunt; imo ejus naturæ ac conditionis sunt, ut curatione eorum ritè administratà ac ex voto succedente, non exigua sanitatis spes affulgeat. Quapropter pauca quædam curationem eorum spectantia iis, quæ ab Auctore tradita sunt, additurus sum.

Certum hoc est ac indubitatum, omni conatu malignitatem pestilentialem à partibus nobilioribus revellendam esse, ac eo ducendam, quo natura vergit, viis ac locis utiliter eo ferentibus, secundum aphorismum 21. lib. 1. ac cum bubones anthracesque in partibus ignobilioribus oriantur, eo quoque venenum hoc ducendum esse, quantum fieri potest, nemo facile inficias ibit. At vero symptomatica hæc sunt (inquiat

quiat quis) ac proinde Medicus in iis naturam nec imitari debet nec potest. Symptomatica esse non nego, At docuit me Hippocrates etjam symptomatica, critica fieri posse. Excreationes (inquit aph. 47. lib. 4.) in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, omnes malæ: commodè tamen si prodeant, bonæ. Sed eadem quoque est eorum, quæ per alvum & urinas excernuntur, ratio. Si quid vero, quod non juvet, per hæc loca excernatur, malum.

Excretiones hasce symptomaticas esse nemo negabit, at bonas tamen eas esse, si commode prodeant, asserit Hippocrates.

Quùm autem & idem hic habeat locum, prudenter sane à partibus internis ut pote nobilioribus, ad ex-

ternas tanquam ignobiliores trahitur hoc venenum. Quum vero apparentibus bubonibus observatum semper sit commodissime venenum pestiferum suppuratione evacuari, humor autem bubonem producens pituitosus lentus plærumque sit, ac tardissime ad suppurationem perveniat, hinc Chirurgi nondum etiam maturato bubone cauteria potentialia adhibere soliti sunt, ut separatâ escharâ suppuratio subsequatur ac veneno pateat exitus. Hinc & vesicatoriorum excogitatus usus, ut ablatâ epidermide cutis ad suppurationem perducatur, quumque longe citius horum beneficio id perficiatur, quam cauteriorum, hinc & eorum usus salutarior esse solet, idque etiam imitatione ipsius naturæ quum

Ga-

Galenus testetur lib. Meth. Med. 5. c. 12. in pestilentiâ sui temporis omnes fere qui evadebant ulceribus scatuisse.

In usu vesicatoriorum notandum primo, ea semper adhibenda esse, tempestivè ac quamprimum bubones apparere incipiunt, imo & hoc addo, felicissime à me non semel usurpata fuisse ipso statim morbi principio, quamvis nullus tumor usquam adhuc appareret: curationis occasionem amittit, qui remediorum usum hic diu differt. In hoc morbo celeriter consulto, & ubi consulueris maturè facto opus est, ut naturæ Medicus statim suppetias ferat, dum ea eas vires habet, ut veneno resistere ac locum epidermide nudatum ad suppurationem perducere potest: vires enim ubi

*fatiſcere incipiunt, protinus exſic-
catur locus, nullaque ſuccedit pu-
rificatio: tardius tamen ſi vocetur
Medicus aut Chirurgus, non ne-
gligendus tamen eorum eſt uſus,
quum etiam viſi ſint non pauci,
quibus quamvis tardius adhiberen-
tur, feliciter tamen evaſerunt.*

*Secundo, applicanda ea eſſe loco con-
venienti, ſi nimirum pone aures,
in collo, aut ſub mento appareant,
loco viciniſſimo, ipſi nempe hume-
ro ejuſdem lateris (quamvis & vi-
derim pone aures & in collo ipſis
bubonibus applicata fuiſſe cum fe-
lici ſucceſſu) ſi ſub axillis, parte
brachii interiori, loco itidem tu-
mori vicino, hic enim non facile
ipſis bubonibus imponi poſſunt; ſi
in inguinibus, cantharides veſica-
torio ſi additæ ſint, nunquam ipſis
bubo-*

bubonibus imponantur, sed loco paulum inferiori, propter viciniam vesicæ.

Tertio, eâ magnitudine adhibenda esse, quâ sufficientem excoriationē efficere possint, exigua ea nimis si sit, exigua tantum subsequitur purificatio, ac proinde frustraneus & irritus medicamenti est effectus; palmæ saltem habeant magnitudinem.

Quarto, vesicam à vesicatorio excitatam non iteratis vicibus, sed ut dolor, quantum fieri potest, vitetur, cum agilitate simul & semel universam auferendam esse.

Quinto, ablatâ epidermide, ea adhibenda esse medicamenta, quæ purificationem promovere possint. Alii folia brassicæ rubræ butiro illita imponunt, alii alia; mihi

compertum nullo felicius id peragi quam unguento basilico, id emplastro ex diachylo cum gummis aut simili super linteamen extenso illinatur, ac ita parti excoriatæ imponatur, & quidem bis singulis diebus emplastrum auferendum recensque idem imponendum est. Medicamenta vesicantia varia sunt, simplicia alia, alia composita, quæ omnia referre animus mihi non est; compositum egregium est quod à Paræo describitur lib. Chirurg. suæ 22. cap. 34.

℞. *Cantharid.* ʒij

piperis,

euphorbii,

pyrethri an: ʒß.

fermenti acris ʒij.

sinapi ʒj.

aceti parum.

Id

Id per octo decemve horas super partem relinquatur, ac tum demum auferatur.

Si ardor urinæ ac dysuria ægro ob cantharides molesta sit, pubis regio linimento anodyno illinatur ex oleo chamæmelino, anethino cheirino, liliorum, unguento dialthbeæ similibusque.

Vbi ea, quæ jam de vesicatoriorum usu dicta sunt, diligenter fuerunt observata, simulque alexipharmacorum usus convenienti tempore non neglectus, sæpissimè vidi, præsertim anno 1624. non tantum malignitatem, virusque pestilentiale victum plane fuisse, sed & bubones evanuisse, evacuatis per exulcerata loca etiam ipsis humoribus, tumores qui produxerant.

At verò si contingat (quemadmo-

dum id à me quoque observatum anno 1635) eorum usu malignitatem quidem imminui superariq; verum bubones non evanescere, in tali casu statim, ubi id animadvertitur, ipsis etiam bubonibus talia adhibenda sunt, qualia ab Auctore describuntur, quæ nempe & venenum pestiferum, si quod ulterius in corpore lateat, universumque per alexipharmaca ac vesicatoria non evacuetur, versus bubones trahant eosque maturent. Mihi in frequenti ac familiari fuit usu sequens cataplasma.

℞. Rad. *Altheæ,*
liliorum,
astrantiæ an. ℥j.
Herb. *malvæ,*
bismalvæ,
violariæ,

parie-

parietariæ,
thapsi barbati,
absinthij,
scordij,
melissæ an m j.
rutæ,
abrotani an m ß.
sem. fænigræci ℥j.
coq: in lacte bubulo, coctis ac pistis adde.
Farinæ lupinorum,
Fabarum an ℥jß.
Fimi caballini ℥ij.
columbini ℥jß.
olei rutacei q. s.
f. cataplasma.

Bubones ubi maturuerint, aperiendi talique ratione curandi sunt, qualis ab Auctore proposita est.

(h) Ad anthracum curationem quod attinet, si quis meminerit eorum

quæ

quæ in curatione bubonum pestilentium à me dicta sunt, is tam in horum curatione quam in bubonum, venenum pestiferum versus partes exteriores ducendum ac per eas vias evacuandum esse iudicabit, quum tam in his, quam in bubonibus natura ipsa eo vergat, commodèque venenum per istas quoque vias evacuetur.

Quum autem pertinaces ut plurimum soleant esse anthraces, nec facile circumscriptionem suam, & à vicinis partibus in ambitu separationem nanciscantur, sine quibus tamen nulla subsequitur purificatio, ac proinde tardè admodum à malignitate partes liberentur nobiles, hinc protinus talia eis adhibenda medicamenta sunt, quæ & venenum versus partes exteriores trahant,

bant, & simul separationem promoveant. Idipsum vesicatoriorum quoque usu commodissimè præstari superiori anno à me observatum est.

Vt autem venenum efficacius à partibus interioribus ad partem jam laborantem attraheretur, vesicatorio jam ante descripto addidi radicem pulverisatam ellebori nigri spurij primi, quem nostrates vier cruyt appellant, ad hunc modum.

℞. *Canthar id.* Nota sic sequentia:

piperis,

euphorbij,

pyrethri an: ℥ß.

rad. ellebori nigri spurij ℥j ß.

sinapi ℥j.

Fermenti acris ℥iij.

aceti parum.

Hujus massæ sufficientem portionem

super

super alutam aut linteamen extensam, anthraci imponi jussi, eâ magnitudine, ut in ambitu vesicam triplo quadruplove ipso anthrace majorem excitaret, tumque ablatâ vesicâ emplastrum diachylum cum gummis, cui unguentum basilicum illitum esset, adhiberi; eadem ratione, quemadmodum in curatione bubonum jam traditum est. Mirum dictu, quam brevi temporis spatio separatio eorum subsequuta fuerit. Crusta ubi jam exciderit, eadem ejus, quæ aliorum ulcerum, curatio est.

Et hæc quidem de curatione bubonum anthracumque sufficiant: Verum solet & aliud Symptoma periculosissimum quoque, imo lethale non raro huic morbo supervenire, alvi fluxus nimirum. In cujus curatione

ne hoc observandum, nec temere eum inhibendum, nec temere permittendum esse, sed diligenter Medicum considerare debere, primo, qualia sint ea, quæ excernuntur, hoc est, utrum excrementa sint naturalia, id est, secundum consuetam naturæ regulam se habentia, an vero colliquativa.

Deinde utrum cum levamine die critico & constantibus excernantur viribus, an vero collabentibus. Si naturaliter sese habeant, cum levamine, die critico, constantibus excernantur viribus (quod quidem in hoc morbo rarissime contingit) naturæ universum negotium committendum est, memores aphorismi Hippocratici 2 lib. 1. Quæ decernuntur, decretave sunt juste, nec movere, nec aliud quicquam

no-

novare, sive id medicamentis sive quovis alio modo naturam irritando fiat, sed omittere oportet.

At vero si colliquativa sint quæ excernuntur, quod familiarissimum huic malo esse testatur Galenus loco jam ante citato in additamento nimirum ad Cap. 5. viresque fatiscant, quod brevissimo tempore semper fere contingere, quotidiana satis docent exempla, protinus, quam fieri potest citissime, sistendus est.

Sed quâ ratione, inquiat quis, an exhibitis blande purgantibus, quæ simul peractâ purgatione astringendi habent vim, an vero alexipharmacis?

Quum acutissimus hic sit morbus, quique, superveniente alvi fluxu, eas inducias non concedat, ut purgan-

gantibus locus relinquatur, imo actum de ægro & jam conclamatum sit, antequam purgans effectum suum sortiri possit, ac præterea τὸ Θεῖον sit, quod colliquationem produci fluxumque parit, omnino statim ad alexipharmaca confugiendum est, & quidem talia, quæ præter alexipharmacam etiam astringendi roborandique obtineant facultatem, quale sequens est.

℞. *Theriacæ* ʒ ß.
boli armentæ
terræ lemniæ an. ℈j.
eboris subtilissime pulveris.
cornu cervi præparat.
coralli rubri præp. an. ℈ß.
syrup. de rosis siccis ℥ß.
aquæ plantaginis ℥jj.
f. potio

Eâ mutatis mutandis, auctâ immi-
nuta-

nutaque ingredientium dosi, pro constitutione ægrorum, feliciter sæpissimè usus sum.

FINIS.



Erra-

Errata Typographica sic corrigenda.

Pag.2.lin.19.etenum l. *etenim*. 21. l. 11. magna l. *magni*.46. l. 16. ſeu l. *ſed*. 48. l. 10. evaſeruntut, l. *evaſerunt ut*.77.l.17. vitimum l. *ultimum*.82.l.9. auxiſſe l. *anxiſſe*.85. l. 19. copioſim l. *copioſum*. 97.l.18. fueri l. *fuerit*. l. 19. eiu l. *ejus*. l:21. ſicci l. *ſiccis*. 102. l.7. interiiſie l. *interiiſſe*(b) 101.l.9.metus eſt l. *metus eſt* (c) 114. l. 3. ſeriò l. *ſerius*.



Lugduni Batavorum,

Typis WILHELMI CHRISTIANI.

cIↄ Iↄc XXXVI.



